This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lt
11
205

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

Lt. 11-205

St 11.205

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 31 July, 1893.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

QUAESTIONES
TIBULLIANAE ET PROPERTIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIII. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXIII

PUBLICE DEFENDET

EVALDUS DIETRICH

LUCKAVIENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS C. L. PFEILII.

Digitized by Google

St 11.205

HARVARD COLLEGE
JUL 31 1893
LIBRARY.

Constantius fund.

Digitized by Google

PATRI DILECTISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEMONENDA.

Cum jam per longum tempus magno semper amore elegiacos Romanorum poëtas tractavi, tum nunc me summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine impetraturum gravissimae causae impulerunt, ut de studiis meis in Tibullum et Propertium collatis delibarem aliquid et perscriberem. — Etenim quod jam Bubendeyus in initio Quaest. Tib. Bonn. 1864 dixit „Tibulli carmino cum reliquis duobus poëtis, qui vetere consuetudine fere semper eum comitantur, jam tot virorum eorumque doctissimorum experta sunt curam, ut jure exspectare possimus, haec carmina inter ea esse numeranda, quae quam potest maxime, ea forma possidemus, qua apud veteres ipsos exstabant.“, hoc ne nunc quidem praedicare licet de Tibulli et Propertii carminibus. Immo novissimo tempore *Tibulli carmina* ita vexata sunt et depravata saepe virorum doctorum transpositionibus, ut veram eorum formam vix liceat cognoscere. Atqui quam cautos in transponendis versibus nos esse necesse sit et qua una via ac ratione ad veri cognitionem venire possimus, uno luculentissimo exemplo doceatur; elegi enim carmen omnium vexatissimum I, 1. — Minus vero *Propertii elegias* tales nos hebere, quales poëta descripserit, immo pulchra carmina et perfecta adhuc in codicum squalore sordere, e tribus, quae protuli exemplis, dilucide ut mihi videtur, cognoscere licebit. (II, 6; — II, 8; — III, 11.) Nec non hic satis magni errores resecandi erant. — Initium igitur faciamus a Tibulli carmine I, 1. —

Digitized by Google

TIBULLI CARM. I, 1.[1])

Ut, quo modo hoc carmen arte critica tractatum sit, perspicias, primum diversae doctissimorum virorum sententiae perlustrandae sunt. — Ac primum quidem sententiarum ordo J. Scaligero displicuit; itaque sic versus transponendos esse censuit 1—6; 9. 10; 7. 8; 29. 30; 35. 36; 11—24; 37—40; 25—34; 41 sqq. Quem profecto non miror in castigationibus ad primum carmen pag. 129 ed 1600 confiteri „quae quo modo suo loco luxata fuerint, proclivius est mirari, quam ejus rationem reddere.“ — Magna fuit Scaligeri auctoritas et quamquam non singulas ejus transpositiones alii acceperunt interpretes, in eo tamen, depravatam esse veram carminis formam, plurimi ei assensi sunt atque alii alio modo medicinam affere studuerunt. — Heynius quidem in ed. Lips. 1798 plane desperans de carminis emendatione, integris relictis ceteris elegiis, reliquas. hasce: I, 1. 2. 5; II, 2. 3. 4 in septendecim dissolvit fragmenta.[2]) — Deinde vero, ut aliorum omittam commenta, novissimo tempore F. Haasius ind. lect. Vratislav. 1855 novam protulit sententiam atque in hanc speciem elegiam redegit: 1—6; 25—34; 7—12; 15—18; 13. 14; 19—24; 35 sqq. Bernhardyus in hist. litt. Rom. novissima editione 1872 pag. 613 nostram quoque elegiam disseruit his verbis: Nur möge man nicht vergessen, dass die Composition des Dichters in seinen gemüthlichsen Elegien immer dehnbar ist. Die weiche Gliederung gestattet den Sätzen ihren Platz zu wechseln, und mit gleicher Wahrscheinlichkeit kann man Umstellungen empfehlen als dieselben bestritten werden. Das gilt namentlich von dem lockeren Gefüge des ersten Gedichtes; von

[1]) Numeris per totam dissertationem utar eis, quos Hauptius exhibuit in editione, quae prodiit Lipsiae apud Hirzelium. 1868.

[2]) Qua emendandi ratione nuper usi sunt Mavius in eleg. I, 2 progr. gymnas. Tychopolit. 1866. Kornius in eleg. I, 6; II, 5 (Mus. Rhen. XIX, 1864 pag. 497—501; id. ibid. XX pag. 471—73.)

Digitized by Google

den Vorschlägen, welche Haase aufstellt, erscheint die Versetzung von 13 sq. 25—34 wünschenswerth. Der Bau der meisten Elegien ist sonst so zusammenhängend, der wesentliche Bestand der Gedanken so geschlossen, dass eine grössere Masse kaum sich herausziehen oder durch Umstellung einfügen lässt. — Denique o. Ribbeckius ind. lect. Kil. aestiv. 1867 carmen restituere conatus est, qui non contentus versuum transpositione majora etiam ausus est. Primum hanc formam carmini dedit: 1—6; 9. 10; 25—28; 7. 8; 29—34. 11. 12; 35. 36; 13—24; 37 sqq. Deinde vero hanc formam optime quadrare sibi persuasit in Ritschelii sententiam, qui in act. soc. litt. Lips. 1866 domonstravit, Tibulli codicem archetypum folia continuisse, quorum seni in quaque pagina versus scripti fuissent; foliorum autem paria quaedam quaternionum compage soluta atque adeo discerpta fuisse. Statuit igitur hunc foliorum ordinem: fol. Ia: titulus libri continetur; fol. Ib: 1—6; fol. IIa: 25—28; 29 sqq.; fol. IIb: 31—34; 35 sqq.: fol. IIIa: 13—18; fol. IIIb: 19—24; fol. IVa: v. 37 sqq. — Quin etiam totam codicis archetypi conditionem usque ad elegiae quartae finem dilucide nobis ostendit! — L. Muellerus ed. Lips, 1870 Haasium secutus est. In praef. ad Tib. pag. XVI satis breviter dicit ad v. 6: „post hos versus inserui v. 25—34, sicut jussit Haasius“. Qui si cognitos habuisset Ribbeckii conatus, nescio an hos comprobasset! — Wisserus Quaestt. Tib. Lips. 1869 pag. 1 hanc profect. sententiam: „Mihi quidem elegiae undecim — sunt autem I, 3. 5. 7. 8. 9. 10; II, 1. 2. 4. 5. 6 — si minus integrae, at tamen ita comparatae esse videntur, ut neque ipsae in diversorum carminum fragmenta dissolvi neque transponi possint inter se earum partes. De reliquis vero elegiis hisce: I, 1. 2. 4. 6; II, 3 quid statuendum sit, haud ita facile poterit dijudicare; multi enim earum loci adeo sunt ancipites et ambigui, de quibus eodem fere jure in diversas partes disputari possit. —

Digitized by Google

Videmus igitur miro quodam modo fluctuantes doctorum virorum de elegia I, 1 sententias et in hoc uno tantum congruentes: dilaceratam esse priorem carminis formam. Sed tamen quaerere licebit, num recte illi viri tantam esse elegiae perturbationem statuerint, cum in codicibus nulla exstent ejus vestigia; deinde vero nonne ipsa magna sententiarum diversitas in dubium vocare debet fidem earum ac veritatem? Et nimirum magna Scaligeri auctoritate capti et prajudicato animo, corruptum esse carmen, statuentes, nimis neglegenter, qualis sententiarum nexus esset, quaesiverunt. Unus Dissenius, servaturus elegiae integritatem, accuratius etiam in sensum ejus inquisivit; sed nihil profecit. Dicit enim ed. Götting, 1835 praef. pag. CVIII hanc summam esse carminis sententiam (Tibullus Messalae respondet): Militiae molestias et opes aliis se relinquere, sibi placere tranquillitatem vitae modico contentae. Jam in medio carmine id agit poëta, ut describat et illustret hoc otium securum et paucis contentum, quod degere cogitat, sic divisa tota tractatione: Primum rusticae vitae jucunditatem explicat, ad quam redire vult, cum negotiis festisque suis, *dicens tum de arborum vitiumque cura et cultu deorum agricolarum, tum de re pecuaria et pastoritiae deae cultu*" sqq. — In hac carminis dispositione equidem nullum invenio sententiarum nexum, immo conglomeratae videntur et sine arte conglutinatae singulae partes neque ullo interibre vinculo conjunctae. Atque haec viri sententia quam procul sit a vero, magis etiam procedente mea commentatione elucebit; videbimus emin, ad quam miras explicationes et longe arcessitas pervenerit. — Ribbeckius prorsus fere omisit hanc quaestionem; in pag. 1 duobus versibus sensum elegiae exponit, adjiciens: id quidem verbosa enarratione doceri opus non est. — Certe non verbosa enarratione, sed necessaria, quaque justa emendatio et interpretatio egere non potest. Quam vero mirificam sententiam Ribbeckius de elegia habuerit, tum optime cognosces, si quibus

Digitized by Google

causis ad magnos suos conatus adductus sit, exposuero; hoc si fecero, simul totam argumentandi rationem perspicere licebit, quam in Tibullo emendando adhibuerunt viri docti. — Omnium errorum fontem fuisse existimo v. 35. 36 ubi de Pale dea loquitur poëta. Hinc enim exorsus Ribbeckius in ipso initio commentationis dicit: „Ac primum deorum, quos se venerari dicit Tibullus, v. 11 sqq. ordinem immixtis alienis rebus distractum esse jam Scaliger vidit". Deinde pag. 5 sqq. Quam fuisse causam dicemus, cur quae ad eundem popularium numinum coetum pertinet, alma Pales, non hic commemoraretur, sed multos post versus infra? — perspexit olim Scaliger, eam cum v. 11—14 conjungendam esse, quamquam quod his praeposuit probari non potest, quia tota haec de cultu deorum agrestium pars verbis „nam veneror etc. exordium cepisse videtur a Termino, quem Silvanus, deinde Pales, sive quis hanc praecedere malet, apte sequetantur. — Quando post v. 14 vel, quod ipse certo quadam de causa praefero, post. v. 12 inseruntur v. 35 sq. „hic" ad verbium explicandum erit „in agro meo". — Cohaerere omnia inde a *v. 25 usque ad v. 34* perspexit Haasius. Ac fortasse toleranda haec pars integra suo loco esset, si reliqua sana vel tolerabili saltem ordine composita essent. Verum non fugit Haasium, quod versum 6 sequitur distichon, „Ipse seram etc. non huc pertinere, ubi rusticae vitae securitas exornatur, sed illuc, ubi quamvis otio deditus tamen non omnia se opera detrectare affirmat poëta v. 29 sq. — 34 „Nec tamen interdum" etc.; quibus si Scaligero auctore praemittuntur v. 7 sq. primum frugum serendarum curam faciliorem, deinde quae molestiora videri possunt, arationis et rei pecuariae opera quaedam sibi vindicat. — Sed illud quoque ingeniosissimus vir praeclare intellexisse videtur, expulsis v. 7 sq. optime coïre v. 6 cum v. 9 sq. — hic vide mihi, quam pulchre inseratur acrior desiderii significatio, fore ut tandem aliquando nullis lacessitus officiis, vacare ab itineribus et otio frui possit. *Ergo hic*

Digitized by Google

(id est post v. 9) interponimus v. 25—28; 7 sq.; 29—34. — Restant Lares, quibus extremo loco v. 21—24 sua munera promittit; remotis autem hinc sequentibus v. 25—34 illorum invocationi 'io messes et bona vina date' Scaliger optime conjunxit distichon v. 27 sq. „adsitis, divi" etc., quae non ut ceteri, sic interpretor, ut post singulorum deorum commemorationem universos ad dapes invitari statuam, sed ad solos Lares referenda esse censeo." —

Atque haec omnia sententiarum quadam vel necessitate vel saltem probabilitate ductum se constituisse dicit vir doctus. Ut vero alia omnia hoc loco omittam, ipsum fundamentum, quod certissimum esse R. sibi persuasit et quo fretus tanta ausus est, plane infirmum est et alienum a poëtae consilio; scilicet illa sententia, primum vitam rusticam describi (1—6; 9. 10; 25—28; 7. 8; 29 - 34), deinde singulos deos enumerari (11. 12; 35. 36; 13—24; 37 sqq.) Ne vinculum quidem conspicimus, quo hae duae partes conjunguntur; immo schematicae formae, quam somniavit ille, omnia accommodata sunt. Totius vero hujus sententiae nulla exstant vestigia; sed quavis re in longe aliam dignioremque Tibulli arte ducimur. Attenuato vero vel potius subtracto hoc fundamento, singulas quoque transpositiones stare non posse, facile apparebit. Picturam inveniemus firmissima forma inclusam, in qua ne versus quidem de suo loco removendus est.

Suscipiamus igitur laborem jam aequo diutius neglectum dispositionemque carminis eruere conemur. Deinde enim clarum fiet vinculum illud, quo singulae partes conjunguntur. Et certe hoc prospere accidit, ut tam manifesta exstent meae sententiae vestigia, ut vix, quin recta sit, dubitare liceat.

Messala Corvinus igitur Tibullo inertem vitam exprobrans, ad belli societatem eum invitaverat, ut paupertatem finiret, divitiasque sibi pararet. Benevolum consilium, quod

Digitized by Google

non ingrato et aspero animo spernere licebat. Sed tamen versatilis poëtae animus, quo modo facete belli societatem recusaret, mox invenit, cum hoc gratissimo carmine responderet, in quo duas affert causas, quare invitatus non veniat. Totius enim elegiae sententia haec fere est: Ut belli socius tibi essem, tu, Messala, benigne me invitasti. Jam audi, quae res mihi obstent, quominus tuam invitationem accipiam. Primum enim divitiarum spes minime me allicit, cum contentus sim mea vita inerti, quam tu mihi exprobrasti. Atque, ut quam amoena et grata sit vita rustica, intellegas, breviter tibi, quales labores qualiaque gaudia habeam per totum annum, exponam (facit hoc poëta v. 7 — 48). Sed gravissimam etiam causam audi, quae sola, quominus oboediens tibi essem, me prohiberet, etiamsi prima deesset: homo sum minime ad bella gerenda natus, cum multo gratius mihi sit et acceptius bella gerere amatoria et in castris Amoris versari; vinculis teneor tenerrimis et divitiarum quid mea interest, si lacrimantem meam puellam relinquere cogor? (v. 51—70.) — Cognoscimus, duas magnas partes esse totius carminis, in quorum prima *vita iners* deserbitur, in altera agitur de *Deliae amore.* — Jam ad singularum partium tractationem transeamus.

Postquam v. 1 — 4 totius carminis argumentum poëta proposuit: neque auri fulvi cupidus sum, neque bellorum saevitia grata mihi est, v. 5. 6 transitus fit ad primam partem, vitae inertis descriptionem (7 — 48) sq. Sed ipsa haec in quatuor minores dividitur partes, quarum commune vinculum quod interpretes non cognovernnt, in maximos errores inciderunt. Etenim jure ac merito se contentum esse sua vita exponens, pulcherrimam nobis effigiem depingit et laborum et gaudiorum, quibus rusticus per unum quodque anni tempus fruatur. Ver, aestas, ipsum brumale tempus gaudia sua habent, ut vere dubitare liceat, cuinam palmam des. Has igitur habes minores partes:

Digitized by Google

veris descriptio v. 7—24
aestatis „ 25—36
auctumni „ 37—42
hiemis „ 43—48

Magna cum arte poëta, quae maxime propria sunt uniuscujusque temporis, invenit et descripsit. — Videamus nunc, quaenam vestigia hujus communis vinculi in singulis partibus cognoscamus et quo modo aptissime omnia quadrent ad hanc firmissismam formam. —

Primum igitur *ver pulchrum* appropinquat laboremque magnum serendi et agri colendi rustico affert. Cognoscimus, conjunctam esse hanc partem cum prooemio atque sic fere procedit sententia: Non curo divitias, mihi vita rustica contento hoc unum concedatur, ut

ipse seram teneras maturo tempore vites
rusticus et facili grandia poma manu.

Unde hoc etiam colligere licet, in precationis speciem totam vitae rustiae effigiem redactam esse, id quod ex ultimis quoque versibus totius partis (sq. 60) cognoscas:

hoc mihi contingat etc.

quamobrem et hic et aliis locis conjunctivum positum videmus. Maturum vero tempus quid hic aliud significare potest, nisi ver? — Invocat Tibullus (9. 10) Spem deam (comprobo enim Ribbeckii sententiam, qui pag. 7 domonstravit, deam hoc loco intellelegendam esse), in cujus potestate tota est agricolarum fortuna, ut

frugum semper acervos
praebeat et pleno pinquia musta lacu.

Neque indignum se esse, cui faveat dea, sequentibus versibus exponit: omnibus enim diis deabusque munera se ferre, et sacra debita facere, Termino (11. 12.) Silvano (13. 14.) Cereri (15. 16.) Priapo (17. 18.) Laribus (19. 20.). Pervenimus in hac parte usque ad finitum serendi et agri colendi laborem et quid aliud nisi vota supersunt rusticorum? quae audimus etiam v. 24:

Digitized by Google

agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
clamet 'io messes et bona vina date'.

Videmus igitur, in hac parte optimum inveniri sententiarum nexum, quem prorsus non intellexisse Ribbeckium (ut alia omittam) ex hoc maxime cognoscas, quod v. 6. 8, quibus incipit veris descriptio, transponendos esse censeret in locum ineptissimum. Nec non hoc patet, non enumerationem nos habere agrestium deorum, sed eos artissime cum tota veris descriptione conjunctos esse, ut hanc necessariam partem nunquam divellere possis. — Idem vero sententiarum ordo, nonne in sequenti quoque parte inveniatur, quae maxime est luxata? Transit igitur poëta ad

Aestatis descriptionem (quae pertinet inde a v. *25 usque ad v. 36*). Sementis est facta, diis munera sunt allata, durissimumque laborem rusticus superavit. Sequitur recreatio maxime optata narratque poëta, qualem vitam degat usque ad messem. At vero in ipso primo hujus partis versu 25 mirum quantum variant lectiones librorum Mss. nec minus interpretu msententiae in diversas partes discessere. Excerpta Frising. habent: Jam modo jam possim; Broukhusianus et Berol. (lachm. *ce*) jam modo nunc possum. Exc. Paris. quippe ego jam possum. codd reliqui omnes: jam modo non possum. Ribbeckius scribendum censet: a modo nunc possim. L. Muellerus Schneidervinum secutus in conject. crit pag. 146: jam mihi jam possim; quae emendationes certe non opus sunt. In eo omnes consentiunt interpretes, transponendos esse versus, quippe qui deorum enumerationem interrumpant. Itaque Haasius eumque secutus L. Muellerus v. 28 — 34 posuerunt post v. 7. Ribbeckius v. 25— 28 posuit post v. 9. 10. Quae omnes sententiae procul sunt a vero et apertissime declarant, illos viros neque hujus loci neque totius carminis sensum intellexisse; longe alia est mea sententia, quae forsitan propius veritatem accedat. Primum nulla est causa, quare a plurimorum codicum lectione recedamus, quippe quae optimum praebeat sensum meamque de

Digitized by Google

communi singularum partium vinculo sententiam confirmet. Scribendi igitur sunt versus, ut eos jam Lachmannus in utraque exhibuit editione:

Jam modo non possum contentus vivere parvo
nec semper longae deditus esse viae.

Modo non idem significat atque „tantum non“, Graecum *μόνον οὐ*, beinahe, fast; quod qnamquam rarius invenitur, tamen jam apud Terentium exstat Phorm. I, 2, 17: „modo non montes auri pollicens“ et postea apud alios scriptores. Hac ratione si verba accipis, „modo non possum“ referendum est ad „contentus vivere parvo“ atque in versu 26. 27 verbum „possum“ subaudiendum est. Deinde continuatur sententia versus 25 in versu demum 29. Hic enim comperimus, quamobrem non prorsus poëta parvo contentus vivere possit: „Nec tamen interdum pigeat etc. Totus igitur locus sic fere in vernaculam linguam vertendus erit: Jetzt kann ich fast zufrieden leben mit wenigem und brauche nicht immer den langen, mühseligen Weg zurückzulegen; sondern kann den Strahlen des glühenden Hundssternes ausweichen, liegend unter dem Schatten eines Baumes am rieselnden Bache. (Aber noch nicht ganz bin ich von aller Arbeit erlöst): Doch zuweilen mag ich mich nicht schämen[3]) etc. Haec loci explicatio nonne re ipsa

---

[3]) Negare non possum, etiam lectionem, quam praebet ce: *jam modo nunc possum* satis aptum habere sensum, si particulam „modo“ cum „nunc“ conjungens recte particularum vim interpretaris, id quod optime fecit Er. Lübkerus in Klotzii lexic. II, pag. 431 a (s. v. modo Nr. 2); „modo gerade eben, bei Zeitbestimmungen von dem, was ein so volles Mass hat, dass es entweder in die Gegenwart im strengsten Sinne fällt oder schon eben der Vergangenheit angehört oder in nächster Zukunft unmittelbar bevorsteht gr. *ἄρτι*.“ — Deinde hanc loci nostri profert lectionem: jam modo nunc possum, qnamquam in ambiguo rem relinquit et ad interpretes nos delegat, a quibus quid exspectare possimus, modo vidimus. Lübkeri interpretationem si acciperemus, vertendus esset locus: So kann ich denn jetzt (id est: cum labores effugi) etc. — Sed tamen neque

Digitized by Google

oblata esse videtur? Ne versum quidem 26 recte intellexerunt interpretes. Ribbeckius interpretatur: „vacare ab itineribus.“ Sed quaenam sint illa itinera, equidem non intellego, cum de sola re rustica poëta adhuc locutus sit et haec verborum explicatio prorsus a sententiarum nexu abhorreat. Nimirum viae longae nihil aliud sunt, nisi „quotidiani in agrum egressus“ quibus quod liberatus sit gaudet poëta et exsultat. Aestatem vero ferventem hac parte describi, quis neget versus 27. et 28. legens:

sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
arboris ad rivos praetereuntis aquae?

Sed ne hoc quidem tempore totum se otio dare licet: bidentes, boves, agnae magnam rustico curam afferunt, quamquam multo gratior est et levior hic labor, quam quem in agris tulit, describitque eum pulcherrimis versibus 29—32:

nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
aut stimulo tardos increpuisse boves,
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
desertum oblita matre referre domum.

Quid nunc fiet de Ribbeckii sententia, qui versus 29—34 posuit post v. 7. 8.; consarcinavit igitur initium veris descriptionis cum media parte e continua aetatis descriptione divulsa. Nescio an nemini hoc jam probabile videatur. — Deinde versibus 33. 34. fures luposque obsecrat, ne damnum exiguo suo pecori afferant:

de magno est praeda petenda grege.

Sequentes versus 35. 36. maximam offensionis ansam dederunt propter varias causas. Primum enim voculae „hic“ significationem non recte intellexerunt viri docti, quamquam vario et saepe miro modo eam explicare studuerunt. Equidem omnes, quae adhuc dictae sunt, sententias, rejiciendas

---

plurimorum librorum auctoritatem leviter spernere licet, neque tam apte quam secundum nostram sententiam v. 29 „Nec tamen interdum“ subjungitur versibus antecedentibus.

Digitized by Google

esse censeo, quippe quae aut nimis arcessitae sint aut versuum transpositione demum effectae. Ut enim de Dissenii discedam sententia, qui „hic“ explicat: in hoc exiguo pecore, et Haasii, qui versibus 35 sq. positis post v. 24, „hic“ esse dicit: *in hoc sacro ambarvalium* (ambarvalia enim in versibus 23. 24. celebrari putat), certe ne Ribbeckii quidem explicationem comprobare possum variis de causis. Hic igitur v. 35. 36 transpositis post versum 11. 12:

nam veneror seu stipes habet desertus in agris
seu vetus in trivio florea serta lapis.

hic significare vult: *in agro meo*. Primum vero versus 11. 12 de suo loco moveri non posse, jam supra vidimus de veris descriptione dicentes; deinde vero, v. 35. 36 retinendos esse suo loco apertissime demonstrabit necessaria, quam postea inveniemus, versuum emendatio. — Confiteamur tandem, voculam illam nostro loco nullo modo explicari posse, cum plane sensu careat, nec quo referenda sit, intellegas. Praeterea vero initium versus: „hic ego pastoremque meum“ primum ad eam sententiam nos ducit, in vocula „hic“ accusativum latere, qui conjungendus sit cum sequenti „pastoremque“; quamquam, si sequentem adjungimus versum, particula „que“ etiam illi „et“ respondere potest. Cum vero ne minima quidem causa sit, quare alium locum versibus 35. 36. designemus, aliam ingrediar viam, quae forsitan recta videatur. Persuasum enim habeo, in verbo „hic“ vetus librorum vitium latere, quod jam in codice archetypo exstiterit. Quem librariorum errorem sane facili nec nimis audaci conjectura corrigens, sic legendos esse versus existimo:

hunc ego pastoremque meum lustrare quotannis
et placidam soleo spargere lacte Palem.

hanc emendationem si accipis, jam nulla remanet dubitatio optimumque illi versus sensum exhibent. Cum enim rusticus furibus lupisque dixisset: „de magno est praeda petenda grege“, sequentibus versibus causam addit, quare suo exiguo

Digitized by Google

pecori (quod ipsum nunc gregem appellat) eos parcere necesse sit atque sic fere continuatur sententia: hujusce (mei) exigui gregis (qui oppositus est alieno magno gregi) nulla vobis potestas est, nam: hunc ego pastoremque meum lustrare quotannis etc. Cognoscimus igitur (id quod jam supra conjecimus) eundem hic inveniri sententiarum ordinem atque in priore parte. Ibi Spem deam, ne se destituat, obsecrat, causamque addit: nam agricolarum deos omnes religiose veneror. — Quomodo vero alterum praetervehemur scopulum, in quem omnes adhuc inciderunt interpretes? Palis enim, pastoritiae deae hoc loco commemoratio maxima fuit causa, quamobrem et hos versus et totum carmen viri doctissimi perturbaverint. Hic vero non minus clarum fiet, eos sensum carminis prorsus non intellexisse. Sic enim argumentati sunt: non divelli posse Palem deam a ceterorum deorum enumeratione. Hujusce rei quod probabilem causam non invenerunt, schematicam construxerunt carminis formam (alius aliam), cui omnia accommodabant. Sed hoc quid aliud est nisi carmina Tibulli secundum propriam tuam sententiam construere, cum verum eorum sensum indagare non possis? — Dissenius unus exstitit, qui cum totius carminis integritatem defendere vellet, hos quoque versus suo loco retinendos esse existimaret. Is vero, cum totum sententiarum nexum minime intellexerit, etiam hujusce rei mirificam profert explicationem, quae quam procul sit a vero, non necesse est argumentis demonstrari. Dissenius enim sic fere argumentatur: Postquam Cererem, Priapum, Lares appellavit poëta, interdum Palis deae oblitus est, quia in Larum commemoratione venit ei in mentem, deberi his etiam aliud quid, scilicet quod possit tranquillus et tutus parvo contentus domi vivere et partim inertes horas ducere, partim etiam sua manu vel arare vel gregem tueri. Rursus autem in gregum mentione in veri pastoris cogitationem ejus lustratione quasi in rectam viam reducitur, ut denique etiam Palem commemoret. Postremo illud quoque reminiscitur, cujus rei

Digitized by Google

causa ab initio deos appellare instituerat atque in v. 37 redit ad initium illud, quod fecerat v. 9—11. — Suo jure Haasius eique consentiens Ribbeckius rejecerunt hanc explicationem et plane assentior Haasio dicenti pag. 12: „magnam hoc modo poëtae ingenio injuriam fieri.“ Haasius ipse, cum quomodo removeret difficultates, non inveniret, transponendos esse versus censuit post v. 26; et profecto nescio an melius hoc fecerit quam laudare Dissenii sententiam. Ipse ego, si non alio modo res posset expediri, pedibus irem in sententiam ejus. Sed multo facilior et simplicior tota res est. Si enim eam, quam ego proposui, totius loci interpretationem accipis, omnia bene procedunt neque aut emendatione ulla aut transpositione opus est; immo gravissimis argumentis, suo loco versus retinendos esse, demonstrari potest. Quid, quaero, Pales, pastoritia dea sibi vult in agricolarum deorum numero, cum nulla adhuc gregis commemoratio facta sit? — Iamjam intellegimus, verum carminis sensum perspicientes, quam ridicula sit illa schematica forma, quam viri docti statuerunt, ut hoc certe nostro jure miremur, adhuc neminem exstitisse, qui tales nugas refutaret. Certe opportuno loco Pales dea in versu 36 commemoratur, atque ut in priore parte agricolarum deis munera sacraque sunt allata, ut agros tueantur, sic in hac parte, cum unica pecoris cura rustico remanserit, pastoritiae deae pares debentur honores, ut gregi prospiciat; ita ut optime respondeant v. 35. 36 versibus 11—24.

Non minores fuerunt errores, in quos inciderunt viri docti de versibus 37 sqq. judicantes, cum non intellegerent, quid significaret illa deorum convocatio:

adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
dona nec o puris spernite fictilibus sqq. —

Videlicet necesse erat, hos quoque versus eisdem accommodari logices regulis, quas animo sibi finxerunt omniumque deorum invocatio aptissime claudebat singulorum deorum enumerationem; itaque et Scaliger et Haasius et Ribbeckius

Digitized by Google

consentientes versus 37 sqq. (Haasius v. 35 sqq.) inseruerunt post v. 24; quamquam Ribbeckius, a ceteris dissentiens, statuit, non omnes deos, sed solos Lares invocari. — Facile cognoscimus, hunc quoque errorem eandem habere originem atque reliquos omnes scilicet quod illi viri consilium et commune vinculum singularum partium non cognoverunt. Dissenius vero, quo modo hos quoque versus suo loco retinendos demonstraverit, jam supra vidimus, nec magis hic quam aliis locis consentientes nos habet. —

Jam nostram sententiam exponere liceat, ut tandem aliquando ex errorum voragine emergamus et quomodo optime continuetur his versibus sententiarum nexus, perspiciamus. Cum igitur in antecedenti parte poëta, qualis vita sua esset usque ad messem, narravisset, quid, quaero, verisimilius est, quam nunc sequi ipsius messis descriptionem? Nonne desideraretur aliquid in gratissima vitae rusticae effigie, si hoc ipsum omissum esset, quod maximum gaudium rustico affere solet? Non mancus, mihi crede, artifex est Tibullus invenimusque, quod nostro jure quaerimus, versibus 37 sq· breviter quidem, sed non minus pulchre quam cetera, expressum; vel hoc ipsum in poëta mirari debemus, quantulis verbis quanta et quam gravia dixerit. — Dum igitur grato otio rusticus fruitur gregesque curat, procedente tempore segetes laete creverunt atque v. 37 sqq. in media messorum gaudia introducimur. Hac messe, quippe quae jucundissima et maxime propria pars sit auctumni, simul totius temporis descriptio continetur; quam imperfectam num esse dicemus et inchoatam, quod verborum careat tinnitu et loquaci singularum rerum enarratione? — Convocantur igitur ad pauperem mensam certe omnes dii deaeque, non Lares soli, ut gaudiorum sint participes: omnes enim plurimum contulerunt ad bonum et laetum segetis incrementum. Magna gaudia sunt messorum, quamvis non uberrimos illos fructus ager tulerit, quam

Digitized by Google

quos tulit antiquo condita messis avo:
parva seges satis est, satis est requiescere lecto
si licet et solito membra levare toro.

Et ne quid desit imagini, sequentibus versibus (45—48) *hiemis* gaudia describuntur, non minora fere quam veris, aestatis, auctumui. Jam licet totum se dare otio domesticisque commodidatibus, licet vires colligere usque ad redeuntes veris labores. Audimus exsultantem poëtam his versibus:

quam juvat inmites ventos audire cubantem
et dominam tenero detinuisse sinu;
aut gelidas hibernus aquas cum fuderit auster,
securum somnos imbre juvante sequi.

En habes perfectam et absolutam imaginem omnium temporum anni et amoenae vitae rusticae, quam quod deserere noluerit Tibullus, nemo vitio ei vertet; habes simul etiam primam magnam totius carminis partem, quam claudit poëta, omnes preces et vota comprehendens, versibus 49 et 50:

hoc mihi contingat: sit dives jure, furorem
qui maris et tristes ferre potest pluvias,

qui versus optime respondent v. 5 et 6, quibus ad vitae rusticae descriptionem transitus fit.

Quamquam desinit hic virorum doctorum error, tamen de *altera quoque elegiae parte* pauca mihi dicere liceat, quae exstat inde a v. 51 usque ad v. 74. — Postquam prima parte poëta, non causam se habere, quare non contentus sua vita divitias conquireret, exposuit, nunc alteram maximamque affert causam, quare Messalae invitationem non accipiat: Taedet me, inquit, bellorum, cum vinculis Deliae tenear. Transitus fit ad hanc partem v. 51. 52:

o quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
quam fleat ob nostras ulla puella vias. —

Certe pulcherrima haec pars est, quippe qua solum Deliae amorem poëta celebret. — Clauditur totum carmen jocosissimis versibus 75—78, quorum duo priores (75. 76) ad ip-

Digitized by Google

sam secundam partem pertinent., sequentes (77. 78.) repetunt primae partis argumentum:

hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque
ite procul, cupidis vulnera ferte viris.
ferte et opes: ego composito securus acervo
despiciam dites despiciamque famem. —

Quo modo cum plane perspectum et cognitum habeamus poëtae consilium in nostro carmine, quaedam etiam de tota Tibullianorum carminum compositione dicenda sunt, de qua quamquam multum et saepe disputatum est a viris doctis, tamen nondum ad finem quaestio perducta est. Primus Dissenius accuratius hanc rem disseruit in praefatione suae editionis. Tamen hic quoque ad miram quandam sententiam pervenit, quae nescio an nemini hodie verisimilis videatur. — In pag. enim LXVII Platonis adhibens sententiam, justum carmen omne ex exordio, medio carmine, exitu compositum esse dicit.[4]) Deinde pag. LXXII medium carmen propriam ubertatis sedem vocat, idque semper in complures partes divisum esse dicit, variasque figuras enumerat, quibus utatur poëta in describendis rebus. Quam sententiam quo modo nostro quoque carmini inculcaverit, jam supra dictum est. — Talis sine ulla varietate carminum compositio, certe indigna esset Tibulli ingenio meritoque taederet nos talis artificii, si re vera in carminibus inveniretur. Suo jure igitur Bubendeyus Quaestt. Tib. Bonn. 1864 hanc rejecit Dissenii sententiam, pag. 4 sic dicens: „unumquodque carmen in partes secundum sententias divelli posse, consentaneum est: ars tamen compositionis ibi tantum cernitur, ubi singulae partes carminis singulas sententias complectentes, tali inter se vinculo continentur, ut ratio logica, quae inter singulas sententias intercedit, externo quodam vestigio atque indicio perspici posset: atque tale indicium nihil aliud esse potest,

[4]) Hoc adductus errore, omnia carmina saepe ridiculo modo in tres partes divellit.

Digitized by Google

quam numerus versuum. — Deinde eo pervenimus, ut non in omnibus quidem carminibus, at certe in quibusdam ea inveniretur sententiarum secundum versus dispositio, ut sententiis singulis eodem ordine logico positis par respondeat versuum numerus“ — Deinde disseruit Bubendeyus carmina quaedam, quibus probari hanc suam sententiam putaret (carm. I, 4.5 aliaque.). Sed tamen in aliud vitium non minus quam illud Dissenii molestum et eum incurrisse et qui eum secuti essent, jam Teuffelius in hist. litt. Rom. perspexit, cui libenter ego assentior dicenti: „Es ist nicht wohlgethan das, was ein instinctives Gefühl für Symmetrie eingab, zu steigern bis zum mechanischen Ausrechnen, wie dies H. Bubendey (l. c.) und C. Prien Die symmetrische Anlage der Sulpicia-Elegien (Fleckeis. Jhrb. 83, S. 149—157) und: Die Symmetrie und Responsion der röm. Elegie (Lübeck 1867) gethan haben“ — Adnumerare licet his viris Guil. Wisserum Quaestt. Tib. Lips. 1869. — Qui viri, freti suis inventis, majora etiam ausi sunt, quae certe maxime sunt vituperanda. Persuasum enim habebant, hac responsionis lege criticae quoque poëtarum tractationi utilitatem afferri posse, quamobrem saepius versus huic legi non respondentes ejiciendos esse existimabant. — In propatulo est, omnes hos viros leges imposuisse nostro poëtae, quibus nunquam erat vinctus, nec minus talem numerorum computationem indignam esse Tibulli arte quam Dissenii tripartitam divisionem. Immo, ut res et argumentum carminis exigebat, ita singulae ejus partes institutae sunt, neque ut par esset versuum numerus, laborabat poëta. — Praeclare haec sententia nostro quoque carmine comprobatur, in quo si parem numerum versuum singularum partium statuere velles, sine dubio in magnos incideres errores. Quid, quod, cum in veris aestatisque descriptione respondentes videamus sententias, lex tamen illa severior plane desideratur? Atqui, si tales leges poëta omnino sibi imposuisset, eam quidem constantiam certe nostro jure posceremus, ut ubique eas servatas inveniremus. Sed prorsus desunt pulchriori

Digitized by Google

Tibulli arti. Hanc igitur simplicissimam habes nostrae elegiae dispositionem:

Totius carminis argumentum v. 1—4.
transitus ad priorem magnam partem 5. 6.

Prima pars 7—48. Descriptio vitae rusticae secundum singula anni tempora (41 v.)

1. *ver* 7—24
   a. labores v. 7. 8
   b. Spes dea invocatur (v. 9. 10)
   c. deornm agrestium veneratio 11—24.
2. *tempus usque ad messem (aestas)* v. 25—36.
   a. gaudia et labores 25—32.
   b. furum luporumque invocatio v. 33. 34
   c. Palis, deae pastoritiae, veneratio v. 35. 36.
3. *Messis (auctumnus)* v. 37—44.
4. *hiems* von 45—48.

Conclusio primae partis v. 49. 50.
transitus ad secundam partem majorem 51. 52.

Secunda pars: Deliae amor v. 53—74.
totius carminis conclusio 75—78.

Num minus grata est et artificiosa haec carminis compositio, propterea quod libera est regularum severitate, quod nusquam fere sententiarum ordini respondentem invenimus parem versuum numerum? Hoc si quis contendere audet, parum sentit veram carminum pulchritudinem.

Nunc, cum sensum dispositionemque carminis plane perspexerimus, respiciamus licet in dilaceratam ejus formam, quam viri doctissimi nobis praebuerunt; atque ut clarior etiam fiat perturbatio, ante oculos tibi ponam elegiam, ut Ribbeckius eam exhibet in fine suae quaestionis:

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
et teneat culti jugera multa soli,
quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
me mea paupertas vita traducat inerti, 5

Digitized by Google

dum meus assiduo luceat igne focus.
9 nec Spes destituat, sed frugum semper acervos
praebeat et pleno pinguia musta lacu.
25 a modo nunc possim contentus vivere parvo
nec semper longae deditus esse viae,
sed canis aestivos ortus vitare sub umbra
arboris ad rivos praetereuntis aquae!
7 Ipse seram teneras maturo tempore vites
rusticus et facili grandia poma manu;
29 nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
aut stimulo tardos increpuisse boves,
non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
desertum oblita matre referre domum.
at vos exiguo pecori, furesque lupique,
parcite: de magno est praeda petenda grege.
11 nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
seu vetus in trivio florea serta lapis.
35 hic ego pastoremque meum lustrare quot annis
et placidam soleo spargere lacte Palem;
13 et quodcunque mihi pomum novus educat annus
libatum agricolam ponitur ante deum.
flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona.
spicea, quae templi pendeat ante fores;
pomosisque ruber custos ponatur in hortis
terreat ut saeva falce Priapus aves.
vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
custodes, fertis munera vestra, Lares.
tunc vitula innumeros lustrabat caesa juvencos,
nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
24 clamet, io messes et bona vina date!
37 adsitis divi, nec vos e paupere mensa sqq.

Nescio an nunquam carmini pulchro major clades allata sit. Continuas descriptiones direptas videmus, disturbatus est gratissimus temporum ordo, ut brevi dicam, tanta omnium

Digitized by Google

rerum depravatio facta est, ut quod verum fuerit poëtae consilium, non liceat cognoscere. Jam tempus est removere tales errores, cum in novissimam Tibulli editionem (L. Muelleri) eos receptos videam. Simplex fuit et minime sinuosus Tibulli animus, quamobrem et simplici mente et sine praejudicio carmina legenti opus est ei, qui recte ea intellegere vult. Hoc loco unum tantum illustre exemplum protuli, quo demonstrarem, quantum ars critica nimis arguta damnum afferret pulchris carminibus; sed alia quoque in promptu mihi fuere, quibus idem demonstrare licebat; de quibus alio loco agere in animo mihi est. — Nunc, cum integrum carmen Tibullo vindicaverim, ad Propertii elegias transitus fiat, quas si ex dilacerata codicum forma in integrum restituero, non minore gaudio animus afficietur.

DE PROPERTII CARMINIBUS II,6; II,8; III,11.

Fortasse non in alio scriptore tam praeclare et tam prospere exercita est ars critica, quam in Propertio, fortasse vero non alius scriptor adeo indigebat doctissimorum virorum cura; misera enim est omnium codicum conditio et dilacerata. Ac primum quidem, quaenam fides tribuenda esset singulorum codicum auctoritati, diligentissime viri docti quaesiverunt. Lachmannus quidem e magna librorum Mss. farragine duos potissimum elegit, quos ut minime Italorum interpolationibus corruptos sequendos duceret, Groninganum et Neapolitanum; quamquam multo plus tribuit Groningano libro quam Neapolitano. Secutus est Lachmannum Hertzbergius Quaestt. Prop. 233—35. At vero de cod. Gron fide nuperrime optimo jure dubitatum est eumque multo magis quam Neap. ab Italis interpolatum depravatumque esse demonstraverunt Heimreichus Quaestt. Prop. Bonn. 1863 Grummius de codicibus Prop. Neap. et Gron. Aurich 1868. — His tamen de singulis codicibus quaestionibus non idem in Propertio viri docti effecerunt atque in aliis plerisque scrip-

Digitized by Google

toribus, scilicet ut talem restituerent carminum formam, qualem ipse poëta eam esse voluit. Immo nunc demum novae et multo majores difficultates detectae sunt; magis magisque intellectum est, et optimum codicem Neap. et reliquos omnes (quorum nulli saec. XV priores extant) mirum quantum dilaceratos esse atque in ipso codico archetypo, e quo optimi fluxerunt libri, maximas gravissimasque corruptelas exstitisse. Hujusce rei argumenta quaedam protulerunt Hauptius prooem. lect. Berol. 1854. 1856. Heimreichus l. c. idem Novae Quaestt. Prop in symbol. philol. Bonn. pag. 674 sqq. — Atque hic certe magnae etiam gravesque quaestiones solvendae sunt, quarum adhuc tantum initium factum est. Hoc vero inter omnes constat, maxime depravatos esse libros II et III, quippe in quibus maximas lacunas et pleraque frusta divulsa inveniamus. His in libris fortasse multae lacunae expleri poterunt, multae etiam laciniae in unum perfectumque carmen conjungi. Nimirum magnus hic labor est omnemque ingenii aciem requirit, cum quam maxime te animum cogitandique rationem poëtae perspecta habere necesse sit, si quid in emendandis restituendisque ejus carminibus proficere vis. Sed ut gravis labor est et plenus aleae, ita necessarius tamen et minime recusandus, qui dum infectus erit, permulta dubia manebunt et obscura. Quo modo enim, quae vera sit lectio, cognoscas, priusquam totum habeas et integrum carmen? quo modo omnino de frusto judicare liceat, cujus ne sensum quidem perspectum habeas? Hunc igitur laborem quod viri docti omiserunt, in magnos illos errores inciderunt, quos suo jure castigavit L. Muellerus in praef. ad. Prop. pag. XIII sic dicens: „Fuere novello tempore, qui plerosque in Propertii libris suppositicios versus agnoscere sibi viderentur. A quibus ego longe dissentio. Nam hic poëta, qui neque in schola unquam fuit lectitatus et in ipsa antiquitate, ne dicam in medio aevo, paucissimos sui studiosos invenit, unde tanta inquinaretur labe? — Ne his quidem versibus, qui aperte feruntur mendosi, spongiam adhibendam censeo. Pleraque

Digitized by Google

enim summa vitia in Prop. carminibus emendando tollenda: si qua restant graviora, quam ut humana ope possint sanari, ipsae tamen reliquiae quantumvis lacerae et depravatae demonstrant peritis et quasi clamant, summi poëtae, non scholastici nescio cujus ea esse monumenta“ — Quam vera sit haec Muelleri sententia, e tribus, quae protuli, exemplis cognoscere licebit, in quibus partes dispersas prorsus non intellectas esse a viris doctis videbimus; eaedem vero recte conjunctae optimum exhibent sensum omnesque lacunas atque falsas lectiones verborumque significationes dilucide nobis ostendunt. Nec non hic ingenii acumen Lachmanni mirari debemus, quo ubique fere recta invenit; et si non omnes, quas statuit lacunas, veras esse concesserim, at certe plurimas sagacissime detectas esse, minime negaverim. Nec minus clarior fiet sagacitas ejus, si hoc magnum studium intentumque laborem comparaveris cum ea ratione, qua Hertzbergius plurimis locis Lachmannum refellere studuit; ubique cognoscemus hunc aut victorem discedere aut certe verum divinasse. Sed jam transeamus ad

CARM. II, 6 TRACTANDUM.

In hoc carmine non apte inter se nexas esse sententias, jam Scaliger intellexit, quamobrem, non minus in Propertio emendando quam in Tibullo, audax, prima octo disticha usque ad v. 16 submovit; deinde v. 41. 42. ab hac elegia resecuit atque in fine sequentis collocavit. — Deinde Lachmannus in prima ed. Lips. 1816 lacunam statuit et ante et post v. 25 sq. atque sic versuum 25. 26 sensum exponit: „Quid, inquit, opus fuit puellis Pudicitiae fana exstruere, si tamen nuptis impune peccare licet? — Nupta igitur Cynthia fuit . . . . . Sed hoc tamen loco mentionem mariti inepte injicit is, cui unice curae est, ut nupta in conjugem peccet, amatori autem fidelis sit. Bene igitur Broukhusius: *si cuivis nurui*[5]). Sed

[5]) Libri omnes: si cuivis nuptae quidlibet esse licet.

Digitized by Google

repone: Si cuivis nuptae *cuilibet* esse licet; hanc scripturam habent membranae Mentelianae et Palatinae cum codice Heinsii et uno Vossiano.“ — Deinde alteram lacunam statuit ante et post distichon v. 35 sq. dicens: hoc distichon praesertim hoc loco positum intelligi nullo modo potest. Post aliorum commenta Burmannus, poëtam hic post commemoratam impudentiae praecipuam causam, e deverticulo quasi, ad Pudicitiae fanum redire sentiens, legendum censuit: *Sed nunc immeritum.* Hac correctione probata, vir doctus, dispersa membra recolligens, optima profecto conjectura hoc distichon post v. 26 inserendum putat. Hujus sententiam ego quoque secutus essem, parva adhibita verbis corruptis mutatione: *Si non e merito,* nisi tamen his admissis ante hos versus 25 sq. et post eos, maxime autem in ultimis distichis hiaret sententia, idque fidem faceret, ab hoc carmine initium cepisse illam cladem, qua multa carmina libri secundi multosque eorum, quae restant, versiculos periisse manifestum erit, cum nos singula loca, in quibus erant lacunarum indicia, asteriscis interpositis notaverimus. Quare nihil magnum hic audendum esse existimavi, quamquam nonnulla de suo loco migrasse in his fragmentis, negare nolim.“ — In altera ed. Berol. 1829 etiam post v. 40 lacunam statuit, restituta codicum lectione: nunquam *me ducet,* quam in priore mutaverat in: *nunquam diducet.* — Jam ante Lachmannum hoc fecerat Jacobus ed. Lips. 1827. Hauptius et reliquas Lachmanni lacunas comprobavit et conjecturam ejus ‘diducet’ recipiens lacunam statuit post v. 40., id quod etiam L. Muellerus ed. Lips. 1870 fecit; qui tamen v. 25. 26 cum antecedenti parte conjunxit. — *Keilius* quoque Observatt. crit. in Prop. Bonn. 1843 p. 40 sq. certe in v. 35 hiare sententiarum nexum concessit. — Adversatns est Lachmanno aliisque viris *Hertzbergius* in commentario ad. Eleg. II, VI., hanc exhibens totius carminis dispositionem: Prima pars (1—22) facillima intellectu est; tripartita enim ejus divisio (*στρ.* 1—8; *ἀντ.* 9—14; *ἐπωδ.* 15—22) anxium

Digitized by Google

poëtam et mala augurantem ex comparatione similium causarum describit, quae necessario se maneant, quum aperta Cynthiae flagitia et ipsius animus natura jam suspicacior consociari nequaquam possint. His turbis antiquae simplicitatis tempora quieta et castitatis specimina breviter opponit (23. 24.). Nec tamen juvare quod haec olim Romae fuerint, neque enim templa Pudicitiae a majoribus in honorem puellarum dedicata contra ingruentem luxuriam quidquam valuisse. Obscoenas tabellas jam in deliciis esse. Has plus valere, quam deorum (25—36) religiones. Vides igitur primae partis argumentum repetitum, sed conjunctim et in saeculi potius mores, quam in Cynthiam versum, simulque causam corruptionis additam (27—32.). Neque accusabis; exspatiari enim interdum poëtae elegiaco licet, praesertim cum causa episodii, imaginum mentio v. 9 facta, appareat. Interim pertexti secundae partis repetitione (33. 34.) questus continuantur et clauduntur (35. 36.) ubi tamen apertum mendum librariorum culpa carmini inflictum nexum sententiarum male olim turbabat[6]). Jam vero meliorum temporum memoriam cum sorte poëtae comparatam, ad sedandos affectus nihil valere apparet. Itaque exitus quoque (37—42.) animum intra timorem atque spem adhuc pendulum ostendit. Quamquam multum eam conditionem a primae partis anxietate differre, quis non videat? Nam cum custodias nihil contra invitam juvaturas poëta intellegat (37. 38.), pudorem optimum lecti custodem Cynthiae ita commendat (39. 40), ut sperare jam certius et confidere videatur. Rursus autem hanc fidem sic amore perpetuo promisso firmat (41. 42.), ut nisi Cynthiae gratiam tanto animi ardore jam expugnaverit, at constantia ipse se sua qualicunque fortunae eventui parem futurum ostendat."

Equidem Hertzbergii sententiam minime probare pos-

---

[6]) Dicit enim, scribendum esse: *Sed nunc inmerito* contra omnium librorum Mss. auctoritatem. pro: *Sed non inmerito.*

Digitized by Google

sum. Primum enim (idquod ipse animadvertit, quamquam vario modo poëtam excusare studet) in hac tota carminis dispositione non procedentem videmus sententiarum ordinem neque ad justum finem pervenientem, sed in eodem fere argumento vertitur. Deinde vero ipsas singulas partes Hertzbergium prorsus non intellexisse atque frustra lacunas a Lachmanno statutas negare studuisse, ex accurata sententiarum consideratione apparebit. Quodsi confiteri debemus, diversas carminis partes inter se nexas non esse, quid longe arcessitam vel potius falsam explicationem praeferamus justae, quaeque re ipsa oblata esse videatur? Hoc est intermittere veri vestigandi studium, cujus Lachmannus praeclare viam munivit, si quae nullo modo conjungi possunt, tamen quavis ratione consarcinare volumus. Et certe justo acrius Hertzbergium hoc fecisse, et in hoc et in aliis, quae nobis tractanda proposuimus, carminibus, cognoscere licebit. — Longe alia est mea sententia et dissentiens ab omnibus interpretibus. Singulas enim elegiae partes perlustrans, facile perspexi, continuas sententias divulsas esse; quas si recte conjungas, aptum effici illud, quod fuerit antea diffluens ac solutum. Hunc igitur nexum habes versuum 1—24:

Animadverti, Cynthia, tanta te alienorum virorum turba circumdari, quanta nulla antehac femina circumdata fuit: (1—8.)

'quin etiam falsos fingis tibi saepe propinquos'
oscula nec desunt, qui tibi jure ferant. —

Sed ut *tu* levis es, nec quanta pericula instent, suspicaris, sic *ego* mirum quantum caveo a toto genere masculino:

me juvenum pictae facies, me nomina laedunt
me tener in cunis et sine voce puer.

Quin etiam: me laedit si multa tibi dedit oscula mater
me soror et cum quae dormit amica simul.

nam tum quoque, ne sub muliebri veste vir se insinuaverit, vereor:

Digitized by Google

omnia me laedunt: timidus sum (ignosce timori)
et miser in tunica suspicor esse virum.

Pergit poëta:

his olim, ut fama est, *vitiis* ad proelia ventum est

his vitiis (in v. 17: *eadem dementia*) nihil aliud significare potest, nisi: talibus fallaciis et clandestino ingressu (id quod exemplis postea allatis dilucide apparet). Itaque sensus est sequentium versuum: Nec sine causa profecto viros timeo clam intrantes, animo considerans, quanta jam ausi sint quantaque etiam nunc audeant. Jam antiquissimo tempore feminas rapuerunt. Exempla afferuntur Paridis (15. 16.) Eurytionis, qui Deidamiam Pirithoo rapere conatus est (17. 18.). Deinde ad Romanos transiens Sabinarum profert rapinam: ex quo tam malum Romulus exemplum dedit, Romae omnia viri audent, ut *custodire* feminas parum prosit; quae nisi tanta sunt constantia, quanta Alcestis fuit et Penelope, et *sua sponte* castitatem servant (et quaecunque viri femina *limen amat.)*, raptoribus nihil arduum est et difficile (19—24.). Felices praedicantur feminae Alcestis Penelopesque similes (hoc enim significat: Admeti conjunx et lectus Ulixis) quod nihil ad eas pertinet virorum audacia. Cognoscimus igitur, de *virorum tantum audacia* agi; hic unicus est versuum sensus. Jam intellegimus, quam falsa sit Hertzbergii sententia, in hac parte anxium poëtam et mala augurantem ex *similium causarum* comparatione describi: nequaquam enim similes Propertii conditionis causae afferuntur, sed rapinarum et furtorum exempla. Ut a Keilii discedam sententia, quam protulit l. c. quaeque non minus quam Hertzbergii falsa est[7]), ne Lachmannum quidem rectum invenisse apparet. Is enim in adnotatione ad versum 15, rejiciens Scaligeri sententiam, qui octo prima disticha remo-

[7]) Concedit enim Hertzbergio, singula ita inter se cohaerere, ut poëta, querelis de amatoribus Cynthiae fusis ad *exempla alieni amoris magno cum detrimento turbati et earum, quae fidem servaverint, laudem abreptus,* Romanarum puellarum levitatem cum illis conferat etc.

Digitized by Google

venda esse censuerat, dicit: haec octo disticha hinc submovit Sc. bene tuitura locum suum, si non de rivalitate virorum, sed de mulierum libidine accipias, quam efficere dicit, ut jure meritoque aliquis timeat.“ — Sed nec de *rivalitate* virorum, nec de libidine mulierum agitur: „vitia“, quibus ad proelia ventum est, quaeque in sequentibus versibus (16—22) describuntur, nihil aliud sunt, nisi fallacia et rapacitas virorum. — Jam vero pons etiam rescissus est, quo Hertzbergius ad sequentes versus pervenire studuit. An tu assentiris viro dicenti, v. 23. 24. breviter turbis illis antiquae simplicitatis tempora quieta et specimina castitatis opponi? Sed cuinam, quaero, feminae Alcestis Penelopesque similes opponuntur? videlicet viris audacibus (Paridi—Eurytioni—Romulo)? nam feminae in his ipsis exemplis castae sunt et decorae (Helena—Deidamia, denique *„intactae Sabinae“*). Neque excusare poëtam necesse est, quod in sequentibus vv. idem proferât argumentum. Immo longe aliud sequitur: querela de feminarum et puellarum moribus depravatis et corruptis. — Quae res plane diversae ut apte conjungantur, versus quosdam desideramus, quibus ad feminarum pravitatem transitus fiat. Atque necessarii illi et desiderati vv. si in ipso nostro carmine inveniuntur, quid dubitamus eos adjungere? Videamus, quo modo res se habeat, si v. 37 sqq. conjungimus cum v. 24; forsitan proficiamus aliquid. — Haec carminis pars (v. 37 sqq.) certe suo loco retineri non potest, quamquam miro modo Hertzbergius eam cum versibus antecedentibus conglutinavit. Equidem ne particulae „igitur“ quidem vim in v. 37 intellego, si non in alio loco collocatur. Deinde vero totam partem non recte cognovit Hertzbergius et alienum a poëtae consilio carmini exitum statuit, id quod maxime ex ea ratione patet, qua v. 41. 42. accepit. In qua re nescio an neminem consentientem habeat. Dicit enim, „perpetuo amore promisso poëtam fidem firmare“ — Conjungendas vero esse primam et ultimam partem, ex externis quoque vestigiis cognoscere

Digitized by Google

licet. Claudit enim poëta primam partem: „Felix — quaecunque viri femina *limen amat.*“ et alteram incipit:

quos igitur tibi custodes, quae *limina ponam.*

Offensi sunt interpretes verbis: limina ponere, et recte, cum veram carminis formam non noscerent; quamobrem Lachm. emendavit: *quae ad limina,* quod „limina quo modo alicui ponantur, nemo commode explicare possit.“ Longe aliter nos judicabimus: Equidem de industria poëtam opposuisse credo „limen amare“ (ultro domi manere) et limina ponere alicui (invitam retinere) neque emendando perdere licet hunc lusum verborum. In v. 24 limen, cum proprie significet, „Schwelle“, insolentius dictum est pro tota domo, v. 37, verbum propria sua vi usurpatur, atque sic fere continuatur sententia: Cum igitur tanta sit Romae virorum audacia, ut femina, nisi limen amat viri, custodiri non possit: quos, *tibi, Cynthia,* custodes ponam, quam munitis omnibusque e partibus interclusis liminibus saepiam te:

quae nunquam supra pes inimicus eat?
nam nihil invitae tristis custodia prodest.

Cognoscimus igitur, Propertium vere architectum esse velle, id quod mirum omnibus visum est, neque causam video, quare non dici possit hoc nostro loco: limina ponere. — Custodia cum nihil prosit, pergit poëta v. 40 sqq: *Pudore,* Cynthia, te prohiberi necesse est, quominus pecces:

quam peccare *pudet,* Cynthia, tuta sat est.

hoc in me ipso cognoscere licet:

nos uxor nunquam, nunquam *me ducet*[8]) amica
semper amica mihi, semper et uxor eris.

Hoc modo si v. 41. 42. cum praecedentibus conjungimus, certe non opus est lacunam statuere, sive Lachmanni accipi-

[8]) Consentio enim Hertzbergio, qui Quaestt. Prop. II, 6,5. II, § 9 satis dilucide demonstravit, plane Propertianam esse hanc personarum mutationem: *nos — me* multisque comprobavit exemplis — „Ducere“ vero pro „diducere“ saepissime usurpatur.

Digitized by Google

mus conjecturam, nunquam *diducet*, sive (id quod ego praefero) codicum sequimur auctoritatem.

Jam facile, qui versus nunc adjungendi sint, apparet: sequuntur *v. 25. 26* quos nihil ad v. 1—24 pertinere, jam supra docuimus. Hic vero optime collocantur pergitque poëta: *Pudere* te necesse est, Cynthia, nam hac de causa jam puellis nostri majores *Pudicitiae* templa statuerunt:

templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
si cuivis nuptae quidlibet esse licet?

Non opus est neque Broukhusii satis audax emendatio: *cuivis nurui* neque Lachmanni: *cuilibet esse licet.* Non enim hoc curae est Propertio (id quod Lachmanno videbatur) ut nupta in conjugem peccet, amatori autem fidelis sit. Immo uxorem poëtam Cynthiam nominare, modo ipse dixit:

semper amica mihi, semper et uxor eris:

itaque Cynthiam, licet illegitimo amore cum ea conjunctus sit, tamen ut justam uxorem alloquitur. — Jam cognoscimus, nihil desiderari ante versus „templa Pudicitiae“ sqq. et fortasse aptius nunc etiam v. 35. 36 sequentur[9]). Poëta ad ultimam partem venit pudicitiam disserens feminarum: Sed quid a te, Cynthia, posco, ut pudeat te peccati, quid templa commemoro Pudicitiae?: hac ipsa de causa tanta viri audent, quod feminas puellasque Pudicitia deseruit. Relicta sunt templa deae et jam libenter et sua sponte omnes peccant, non a viris coactae:

Sed non immerito velavit aranea fanum
et mala desertos occupat herba deos.

et quanam de causa „non immerito?“

Quae manus obscenas etc. —

---

[9]) Quibus vv. certe nullus est locus post v. 34; tota enim pars 27—34 concluditur aptissime v. 33. 34. et languida fit et obscura sequentibus. Praeterea vero si huc versus inserimus, nequaquam Hertzbergii emendatio: *sed nunc immerito* opus est, quam ut supra vidimus, contra omnium librorum auctoritatem protulit. Nihil mutandum est de verbis, quae corrupta esse Lachmannus quoque contendit.

Digitized by Google

Nunc si breviter totius carminis dispositionem statuere conamur, haec fere est:

Pars I (1—24.) Suspicax sum Cynthia, et vehementer timeo viros alienos, nam saepe clam se insinuantes feminas rapuerunt et nunc Romae Romuli exemplo ad eam pervenerunt audaciam, ut jam custodire feminas nihil prosit.

Pars II Quo modo igitur te, Cynthia, tuear ab illis?: Pudere te flagitii necesse est, tum satis tuta eris. Hac de causa etiam majores nostri Pudicitiae templa puellis statuerunt (37—42; 25. 26.)

Pars III. Sed nimis magna a te posco: Jam nequiquam apud feminas pudicitiam requiras. (35. 36; 27—34.)

Hoc modo si carmen accipimus, optime continuari videmus sententiarum nexum et, quod maximum est, in unaquaque parte novum semper argumentum proferri. Hoc quoque facile intellegimus, ad longe alium et nescio an rectum totius carminis exitum hanc singularum partium conjunctionem nos duxisse: Non enim ad majorem spem et confidentiam in fine carminis poëtam venientem videmus, sed plane desperat, cum omnia corrupta esse et depravata cognoscat. — Nunc, si quo modo exorta sit talis in libris perturbatio, quaeris, in nostro carmine non difficile est dictu. Habemus enim inde a. v. 25 usque ad finem carminis XVIII versus, id est tres codicis archetypi paginas, quarum quaeque senos continebat versus. Quaternionum compage soluta prima trium paginarum transposita est post alias duas. Deinde vero v. 35. 36. quos in secunda exstare pag. necesse erat, nescio quo casu in finem tertiae paginae delati sunt.

Continebant igitur codicis archetypi:

pag. 1 v. 37—42.
pag. 2 v. 25. 26; 35. 36; 27. 28.
pag. 3 v. 29—34.

Hanc igitur habes elegiae speciem inde a versu 19:

19 cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor, Pars I.
20 nutritus durae, Romule, lacte lupae,

Digitized by Google

tu rapere intactas docuisti impune Sabinas:
per te nunc Romae quidlibet audet Amor.
felix Admeti conjunx et lectus Ulixis,
et quaecunque viri femina limen amat. —
quos igitur tibi custodes, quae limina ponam, Pars II.
quae nunquam supra pes inimicus eat?
nam nihil invitae tristis eustodia prodest.
quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est:
nos uxor nunquam, nunquam me ducet amica,
semper amica mihi, semper et uxor eris.
templa Pudicitiae quid opus statuisse puellis,
si cuivis nuptae quid libet esse licet? —
sed non inmerito velavit aranea fanum, Pars III.
et mala desertos occupat herba deos:
quae manus obscenas depinxit prima tabellas
et posuit casta turpia visa domo,
illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
nequitiaeque suae noluit esse rudes.
ah gemat, in terris ista qui protulit arte
jurgia sub tacita condita laetitia.
non istis olim variabant tecta figuris:
tum paries nullo crimine pictus erat. —

Difficilior quaestio est de

CARM. II,8,

in quo cum proprio argumento versus plane alienos intermixtos inveniamus, aliam viam ingredi debemus et majora audere.

Hic quoque primus Scaliger conatus est lucem afferre magnis illis tenebris, quibus tunc temporis critica carminis conditio tenebatur. Vide enim, qualem invenerit nostri carminis formam, vel potius qualem frustorum farraginem in veterioribus editionibus: post v. 6 inserti erant lib. IV,18, 29. 30, deinde II,6, 15—22; II,8, 29—40 (inverso ordine 31. 32; 29. 30.); 7—10; sequebantur II,9, 1. 2; 11—16.

Digitized by Google

Hanc finire perturbationem quanti negotii fuisse existimas? Exceperunt Scaligeri studium alii viri, quorum omnium sententias hoc loco commemorare longum est neque ullius pretii, cum omnes eorum conatus Lachmannus obruerit, quippe qui recte aestumans libros Mss, via ac ratione artem criticam in nostra quoque elegia exerceret. Ab eo igitur initium faciamus, ut in medias difficillimas quaestiones resque controversas perveniamus, de quibus ne hoc quidem tempore, quid verum sit, coustat.

Ne Lachmannus quidem in eadem semper permansit sententia, sed veram nostrae elegiae formam indagans, decessit de priori sua sententia, cum aliam probabiliorem se invenisse persuasum haberet. In prima igitur ed. Lips. 1816 lacunam statuit post v. 12, quamquam ne versuum quidem 11. 12 cum antecedentibus conjunctionem claram esse intellegebat. Dicit enim ad v. 13: In primis hujus carminis versibus ne quid excidisse suspicemur, *fortasse* interpretando cavere poterimus. Ibi amicum alloquitur: „Reprehendis, me, inquit, quod Cynthiam ab alio mihi ereptam doleo. At nihil, quam in amore turbari, acerbius. At, dicis, nulla quidem stabilis fortuna est; jure igitur amores quoque vertuntur. Accipio: sed meus non vertitur, nam illa me nunquam amavit.“ Ita illa interpretari possumus, *non nimis tamen, ut mihi videtur, probabiliter.* At qui sequuntur quatuor versiculi (13—16) quid huc faciant, non intellego — quid, quod eorum sententia prorsus obscura est ac difficilis?“ — Deinde versuum 13—16 hanc dedit explicationem, Nic. Heinsii et P. Francii laudans conjecturam atque sic scribens:

Ergo ego[10]) tam multos nimium temerarius annos
improba, qui tulerim teque tuamque domum?

„Ergo ego nimis temerarius? egone audax, qui amorem tuum poscam? cum tamen tam multos annos imperium tuum patienter tulerim. Jam dubito, simne tibi unquam liber visus,

[10]) Libri: ergo, omisso pronomine.

Digitized by Google

an usque me pro servo tuo habitura sis — Jam vero qui versus hos excipiunt (17—40) „Sic igitur prima etc., in libris omnibus conjuncti prioribus, ii ad aliud penitus carmen pertinent. Hic enim secum loquitur, cum domina sese interficere parat, mortem inhonestam Achillis exemplo excusat; priora ad amicum scribebat, nihil de morte, nulla fortitudo animi, nil nisi miserae rejecti amoris querelae.“ Dicit igitur inde a versu 17 usque ad versum 40 novam proferri elegiam (II,9.). Jacobus in sua ed. Lips. 1827 primam lacunam statuit post v. 12, alteram post v. 14, tertiam post v. 16, atque versus 17—40 ejusdem quam antecedentes versus carminis frustum esse putat. — Jam vero Lachmannus ipse commutaverat priorem suam sententiam statuitque in altera ed. Berol. 1829 lacunas post v. 12 et 14, ita ut 15—40 ejusdem essent elegiae. Quanam causa vir ad hanc plane diversam sententiam adductus sit, libenter, sed tamen nequiquam requiras, cum nihil de hac re dixerit. Secutus est hanc postremam Lachmanni sententiam Hauptius in ed. Hirzeliana. — Novam explicationem H. Keilius protulit in observatt. crit. pag. 43: „Sed hi certe versus (sc. 12—15) quo modo inter se cohaereant, non vides. Positi erant haud dubie inter *v. 14 et 15* aliquot versus, quibus multa a se inconsiderate tentata esse ad amorem Cynthiae reconciliandum narraverat Propertius. In quibus cum caeca amatoris cupiditas conspiceretur, facilis erat transitus ad v. 15 et 16.“ — L. Muellerus in ed. Lips. 1870 primum Scaligerum secutus v. 7. 8 post. v. 9. 10 collocavit, deinde Keilii comprobans sententiam tantum post v. 14 lacunam statuit, denique priorem Lachmanni conjecturam accipiens, inde a. v. 17 novam elegiam (VIII^{b}) incipere vult. — Sed ne integritati hujus carminis defensor deesset, Hertzbergius hic quoque contendit, perfecta esse omnia et absoluta et ne unum quidem versum desiderari. Qui quid profecerit sua defensione, ipse tu judices. Primum enim, quo modo singulae inter se sententiae cohaereant, quaerens, Quaestt. Prop. II, § 6. pag. 117. in v. 7–10

Digitized by Google

sermocinationis figuram inesse dicit (hoc est fictio incertae personae, quae nobis obloquitur) deinde ibid. II, 6 pag. 115 de versu 13 sq: In epistola ad amicum scripta subito cum Cynthia jurgatur, et, quod majus etiam est et insolentius, postquam v. 17 ipse secum quaedam locutus est, v. 25 nullo novae ἀποστροφῆς indicio repente aemulum suum petit.“ Profecto mira et insolens personarum mutatio, qua nescio an plane obscura fiat tota carminis sententia! — Deinde in commentario ad el. II,8, 13 negat, post v. 12 lacunam esse statuendam, longe aliam atque reliqui interpretes verbi „ergo“ significationem proponens „neque enim hic ulla in eo consequentiae vis inest — sed propria voculae voluntas est, qua cum Graeco ἔργον cognata affirmationem continet: plane ut nostrum „wirklich.“ Rejiciens igitur Lachmanni hujus loci explicationem sic pergit: immo audacem se fuisse non negat poëta, sed contendit, quippe qui tali Charybdi se commiserit. — Ad v. 17 denique adnotavit: Hic quoque abruptum quodammodo carminis filum aperte Lachmannus, modestius Jacobus significat; nec in ed. Berol. criticus summus, majore ut solet initiali novum carmen hic ordiri ausus est. Nec mortis voluntariae desiderium quidquam alieni habet, cum poëta malle se mori, quam amore spreto vivere v. 4 palam professus sit.“ — Tali igitur modo omnia recte se habere Hertzbergius existimat, quamquam summis difficultatibus eum supersedisse et jam nunc in propatulo est et magis etiam elucebit procedente mea commentatione. Nos vero multo cantiores esse opus est, si quid proficere volumus in carminis emendatione et interpretatione.

Cognoscimus, maxime diversas esse et contrarias doctissimorum virorum sententias, ut paene desperare possimus de justa nostrae elegiae explicatione. Quo modo enim lucem afferemus his tenebris, ubinam manifesta inveniemus vestigia, quae in rectam viam nos ducere valeant? — Equidem accuratissime totum carmen perspiciens ad longe aliam atque omnes illi viri sententiam veni, quae nescio an probabilior

Digitized by Google

videatur et simplicior. — Hoc quidem consentientes omnes interpretes inde a Scaligero (si unum Hertzbergium exceperis) intellexerunt, versibus 11—16 interrumpi nexas inter se et optime cohaerentes sententias; de hoc vero dubitaverunt, ubinam laterent difficultates; quamobrem alius post alium versum lacunam statuit. Et hoc certe recte illi viderunt: sed equidem plura etiam contendere ausim, dicens, versus illos plane alienos esse a toto carminis argumento. — Ac primum quidem animadvertendum est, elegiam scriptam esse de puella *erepta* poëtae, quacum antea mutuo amore conjunctus erat, id quod ex his versibus conjicere licet:

v. 1. *Eripitur* nobis jam pridem cara puella
6. Nec mea dicetur, quae modo dicta meast?
7. omnia vertuntur: certe *vertuntur* amores;

si enim vertuntur amores, antehac eos exstitisse necesse est. Idem testatur illud Achillis exemplum:

29. 30. Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
cessare in tectis pertulit arma sua.

v. 36: tantus in erepto saevit amore dolor —

In illis vero dubiis adhuc versibus non de amore erepto agitur, sed de inexorabili puella et pertinaci, cujus amorem poëta nunquam sibi conciliare valuit; id quod jam e v. 11 12 cognoscere licet:

munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
illa tamen nunquam ferrea dixit „Amo."

sed reliquos quoque versus (13—16) eundem sensum habere, tum demum clarum fiet et dilucidum, si postea justam dedero eorum interpretationem. — Tam diversae vero sententiae quo modo in uno eodemque carmine conjungi potuerint, equidem non intellego. — Deinde vero (et hoc maximum est) illi versus neque ad praecedentes versus (7—10) quadrant, neque ad eos, qui sequuntur (17—40), id quod optime intelleges, si quem ego sensum esse existimem totius carminis, latius explicavero.

Propertio igitur, magno dolore propter ereptam sibi

Digitized by Google

puellam percusso, amicus quidam nimiam animi mollitiam exprobraverat lacrimasque eum fundere vetuerat. Profecto minime noverat ille amicus magnum fervorem et paene jam furorem, quo magis magisque Propertius in desperationem ferebatur. Respondet ei poëta hoc nostro carmine, cujus v. 1—6 ad ipsum amicum dictos esse in propatulo est:

Eripitur nobis jam pridem cara puella,
et tu me lacrimas, fundere, amice, vetas!
nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae:
ipsum me jugula, lenior hostis ero.
possum ego in alterius positam spectare lacerto?
nec mea dicetur, quae modo dicta meast?

quorum versuum sententiam sic breviter explices: Tune lacrimas me fundere vetas, tune sine amore me vivere posse existimas?

Deinde a. v. 7 sqq. ipse secum loquitur, (quamquam simul etiam amici sententiam refellit) atque dilucide sibi et omnibus *logices regulis* et *exemplis* demonstrat, erepti amoris dolorem se nullo modo ferre posse. Argumentationem igitur habemus, cujus sic fere procedunt singulae sententiae: — Magna abreptus tristitia, primum animo considerat, nullam constantem esse fortunam et in perpetuum manere; immo omnia verti: itaque amori quoque idem fatum imminere

omnia vertuntur: certe vertuntur amores:

Deinde in sequenti versu ad suum ipsius venit amorem:

Vinceris aut vincis: haec in amore rotast[11]).

---

[11]) Hoc loco non licet praeterire, in v. 8 metricam extare difficultatem, id quod Bubendeyus Quaestt. Tib. pag. 22 adn. 1 dilucide ostendit. Dicit enim, non licere in prima pentametri parte ultimam brevem syllabam porrigi ante h aut vocalem apud Ovidium, Tibullum, Propertium omnesque hujus aetatis scriptores; Martialem primum hanc legem neglexisse. Demonstrat etiam, locos paucos Tibulli et Ovidii, in quibus haec inveniatur licentia, aut corruptos esse aut omnino non huc pertinere. Pergit deinde: restat igitur apud poëtas ejus temporis unus ille locus Propertianus: Nonne rectius videatur, aliter si poëtam scripsisse putabimus?" Plane viro

Digitized by Google

Ergo: ne meus quidem amor malum effugiet. — Atque in hac tristissima defixus cogitatione magis magisque poëta effervescit, quo propius finem argumentationis accedit; jam magnorum ducum nobiliumque tyrannorum miserandam mortem, jam Trojae Thebarumque flebilem ruinam cum amoris sui interitu comparat:

magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
et Thebae steterunt, altaque Troja fuit. —

jam —: Munera quanta dedi etc. — Hi versus sine dubio plane interrumpunt argumentationem, et cum adhuc rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas viderimus, nunc alienum quidquam sequitur. Jam ante Lachmannum hoc Scaliger viderat, cum v. 9. 10 poneret ante v. 7. 8. quem secutus est L. Muellerus. Sed ne sic quidem aptus efficitur sensus; praeterea vero comminuitur hac transpositione et atteritur crescens semper argumentandi acerbitas. — Neque unus tantum aut duo versus a re sunt alieni, sed omnes inde a. v. 11—16. Quos si ejeceris et v. 10 conjunxeris cum versu 17, optime continuari sententiarum ordinem, facile cognosces. Poëta ad summam pervenit totius argumentationis, ad maximam fortunae vicissitudinem. Sic enim pergit ipse secum considerans: Ut nobiles duces et tyranni cecidere, ut ipsa Troja Thebaeque ruinam non evita-

---

assentior: nunc enim, cum accuratius, quo modo singulae sententiae inter se cohaereant, perspexerimus, hoc quoque contendere possumus, ne sensum quidem hujus versus aptum esse. Ubique de una tantum commutatione agitur: e prospera in adversam fortunam, hoc maxime exempla docent in v. 9 et 10. Itaque de una tantum rotae conversione cogitari poterit, qua prospera fortuna in adversam mutatur. Minime igitur exigitur sententia: aut vinceris aut vincis; immo hoc jam constitutum est: vincitur Propertius, cum antea invictus fuerit. Sic igitur versum scribendum esse censeo:

vinceris: *invictis* haec in amore rotast.

Tum hic efficitur sensus: vertuntur amores: tu vero *vinci* tantum potes, cum haec una rotae conversio iis relicta sit, qui adhuc *invicti* fuerunt. Cognoscimus igitur, aliud ex alio enuntiatum pendere.

Digitized by Google

runt: sic tibi quoque Properti! — *moriendum est.* Invenimus hanc sententiam v. 17 (Lachm. prima ed. II,9, 1 sqq. Luc. Muellerus II, VIII[b] v. 17 sqq.).

Sic igitur prima moriere aetate, Properti!

optime expressam. Delendum igitur est interrogationis signum post „Properti" et exclamationis signum ponendum; hoc enim totius versus sensus exigit: poëta ad conclusionem pervenit argumentationis, et certe maximo afficitur dolore. — Quo modo si versus explicamus, ne unum quidem verbum dubium manet et obscurum. Immo vocula „Sic" nunc demum justam accipit significationem nec minns apte collocatam videmus particulam igitur, quae necessaria pars est conclusionis. — Cum Propertius ipse, moriendum sibi esse, argumentatus esset, nondum tamen ad finem pervenit secum locutus, neque in tanta tristitia et desperatione eum relinquimus. Unum solatium remansit poëtae: *Mors aemuli;* hunc, omnium malorum auctorem, acerrime ulciscetur atque sic fere continuatur sententiarum ordo: Licet ipse ego moriar, licet gaudeat meo interitu puella — aemulum mecum mori necesse est. Continuatur igitur sententia versus 18 in versu demum 25: (Lachm. prima ed. II,9, 2 et 9 Luc. Muellerus II, VIII[b], 18 et 25.)

18 Sed morere, interitu gaudeat illa tuo sqq.
25 Sed non effugies: mecum moriaris oportet.

Non mirari debemus, quod tot versibus interpositis oblitus sit poëta, quomodo exorsus esset enuntiatum; quamobrem „sed" conjunctionem iteratam videmus. — Qui sequuntur versus (26—40) nulla egent interpretatione, cum nullas exhibeant difficultates et ab omnibus recte sint intellecti. —

Simplicissimus est et minime arcessitus hic sententiarum ordo, qui si accipitur, jam nullam video obscuritatem relinqui, neque illa nimis audaci sermocinationis figura opus est et mirifica personarum mutatione; quibus artificiis permultas difficultates nequiquam Hertzbergius removere studuit. Carmen habemus, quod summum aemulationis fervorem nobis

Digitized by Google

ostendit; eumque in proxima quoque elegia IX, invenimus in ipso initio:

Iste quod est ego saepe fui etc.

Hanc igitur habes restituti carminis formam:

Eripitur nobis jam pridem cara puella
et tu me lacrimas, fundere, amice, vetas!
nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae!
ipsum me jugula, lenior hostis ero.
possum ego in alterius positam spectare lacerto?
nec mea dicetur, quae modo dicta meast? —
omnia vertuntur: certe vertuntur amores:
vinceris: *invictis* haec in amore rotast.
magni saepe duces, magni cecidere tyranni,
et Thebae steterunt altaque Troja fuit:
sic igitur prima moriere aetate, Properti!
sed morere, interitu gaudeat illa tuo,
exagitet nostros manes, sectetur et umbras,
insultetque rogis, calcet et ossa mea. —
quid? non Antigones tumulo Boeotius Haemon
corruit ipse suo saucius ense latus,
et sua cum miserae permiscuit ossa puellae,
qua sine Thebanam noluit ire domum? —
sed non effugies: mecum moriaris opertet:
hoc eodem ferro stillet uterque cruor sqq.

Restant igitur 6 versus (11—16), de quibus quid sit statuendum, tum demum poterimus judicare, cum prius de carmine III,11 veram dixerimus sententiam.

CARM. III, 11. (HERTZBERGIUS II, 11. L. MUELLERUS III, II [XI.]).

Tria tantum disticha sunt, in quibus irascentem invenimus poëtam, non aemulo, ut carm. II, 8 et 9, sed ipsi puellae. Versus pleni sunt odii acerbi, de quibus non minus varian tsententiae, quam de carmine modo tractato:

Digitized by Google

scribant de te alii, vel sis ignota, licebit:
laudet, qui sterili semina ponit humo.
omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
auferet extremi funeris atra dies:
et tua transibit contemnens ossa viator
nec dicet 'cinis hic docta puella fuit.'

Quos versus cum antecedenti elegia conjungendos esse Scaliger censuit: quod certe nullo pacto fieri potest. Primus hic quoque Lachmannus, tantum frustum majoris carminis nos habere intellexit, quamquam, quo pertinerent versus, nesciebat. Audiamus ipsum eum dicentem Scaligerique sententiam refellentem: „Hi versus, quo pertineant, nescio, nec scire laboro. Pro integro carmine quidem nemo haec accipiet, sensu quidem non carentia, sed lucem atque elegantiam a ceteris demum acceptura. Scaliger eadem, qua cetera, felicitate, cum elegia praecedente consarcinavit. Quaere apud Propertium, quibus verbis concepta sit sententia, quam invenit ille in eo carmine, quod confecit ex his 6 versibus et 30 praecedentibus, plenum, si ipsi fides, affectus amatorii, nec nisi a politis ingeniis intellegendum: „Non recuso pro te omne periculum subire, sed consilium non est mihi amplius de te scribere, neque frustra in tuis laudibus praedicandis, quod antea feci, tempus conterere: de te alii scribant, an taceant, id vero susquedeque fero.“ — Haec quibus non placeant, inficeta capita appellat.“ — Deinde Lachmannus et ante et post 6 versus lacunam statuit, eumque fere omnes editores secuti sunt, Jacobus, Paldamus (qui, id quod Lachmannus ipse in secunda editione fecit, tantum in initio lacunam statuit), deinde Hauptius, L. Muellerus. — Unus Hertzbergius hujus quoque elegiae integritatem defendere conatus est, qui nescio an non majorem lucem huic attulerit quam carmini II,8. Dicit enim Quaestt. Prop. II,5, pag. 87: Acerbus autem et ipsa carminis brevitate nervosus (poëta) in El. III,11: contemptio enim introïtum (1. 2.), infausta omina medium carmen obtinent (3. 4.), exitum minae (§. 6). Qui eo est effica-

Digitized by Google

cior et verborum parsimonia despicientiae frigus apparet et digni poëta affectus expletam justa vindicta iram testificantur.“ — His igitur verbis satis se fecisse persuasum habet ad integritatem carminis servandam. Nemo, quantum equidem scio, Hertzbergium secutus est et nos certe majore cum diligentia in rem inquirere debemus. Nimirum accurate totum elegiae sensum perspicientes hoc libenter Lachmanno concedemus, desiderari alteram carminis partem, quae ipsa demum lucem afferat frusto avulso, qua exponat poëta, quamobrem irascatur puellae, quamobrem etiam desinere velit carmina amatoria pangere. Nescimus praeterea, quid „munera“ significent in tertio versu, quid plura? adeo omnia obscura sunt et dubia, ut ne audacissimus quidem poëta talia aenigmata proferre conaretur. — Quaeramus nunc, quid de versibus illis statuendum sit. Quamquam enim Lachmannus dixerat, non laborare se scire, quo pertinerent, gratum tamen erit et acceptum, si desideratam carminis partem invenerimus. An ea scientia antiquitatis, quae ad veterum artis monumenta spectat, gaudebit, cum diruti monumenti membra diversis locis dispersa collegit: nos, poëtarum ingenia admirati, non eandem hauriemus voluptatem e pulchri carminis restitutione? — Et sane prospere accidit, ut illa prima elegiae pars nobis servata sit. Contemplemur enim sex illos versus, quos e carmine II,8 ejiciendos esse statuimus. Cum prorsus alieni essent ab illius carminis argumento, mirari non possumus, quod nec Lachmannus neque alius interpres verum eorum sensum cognoverit, id quod maxime patet e varia lectionis interpunctionisque ratione, quam ipse Lachmannus protulit; fluctuantem eum videmus, nec quid recte statuendum sit, perspicientem. Velut in prima ed. in v. 11 *vae* pro „vel“ scribendum censet „quod *vel* pro *et* deterioris aevi sit. Hic sine dubio Hertzbergius rectum invenit, sic explicans vim conjunctionis *vel:* Nec nos dicimus, *vel* idem esse quod ‘et’, sed disjunctivarum particularum omnium ea, quae proxime accedat copulativam. Nam cum *aut*, non posse simul esse

Digitized by Google

duas res, significat, *et* vero simpliciter: esse simul, *vel* in medio positum, non debere quidem simul esse, sed posse ita cogitari, indicat. Hinc a copulandi particulis exiguo saepe discrimine differt.“ — In altera ed. Lachmannus ipse respuit hanc lectionem, *vel* restituens. Deinde in prima ed. v. 13 scripsit: *Ergo ego* et v. 14 post 'domum' interrogationis signum posuit, hunc versum cum sequentibus conjungens; in altera ed. (id quod jam ante eum Jacobus fecerat) post 'domum' comma tantum posuit lacunamque statuit post v. 14; quam interpunctionem omnes editores acceperunt. Sensum horum versuum quomodo et Lachmannus et alii acceperint, jam in initio commentationis diximus, quot interpretes, tot fere sententias invenientes. — Videamus nunc, num alio forsitan modo proficiamus aliquid in hujus frusti interpretatione; hoc enim si nobis contigerit, quanta et quam gravia inde sequantur, statim videbimus. Primum igitur sic versus scribendos esse censeo:

munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
illa tamen nunquam ferrea dixit 'amo'.
ergo jam[12]) multos nimium temerarius annos,
improba, qui tulerim teque tuamque domum,
aquandone tibi liber sum visus? an usque
in nostrum jacies verba superba caput?

Num profecto non justus sensus versibus sic descriptis eliciendus erit? semperque Sphingis aenigma hoc frustum manebit? Non tam celeriter de salute desperemus et si aliquid tamen proficiamus, conemur. Equidem hunc esse sententiarum ordinem existimo: (Irascitur Propertius puellae): Quamquam tot munera tibi donavi, tot carminibus te celebravi, tamen nunquam dixisti: amo te. Ergo (id est quod nunquam me amavisti) jam multos annos nimium temerarius fui, qui tibi tuaeque domo servirem. Et per hoc longum tempus servitutis

[12]) Hanc enim lectionem omnes exhibent libri Mss, uno Gron. excepto, qui habet: *tam.*

Digitized by Google

meae, nunquamne tu, liberum hominem me esse suspicata es? an semper tuum servum me futurum esse putas? subaudienda sunt verba: magno in errore versaris, hoc existimans. Duo postrema enuntiata in unum sunt contracta: Ergo jam multos nimium temerarius annos, qui etc. ecquandone tibi liber sum visus? sqq. „temerarius" positum est pro, ego, qui temerarius fui. Quo modo si verba conjunguntur, removetur illa difficultas, quam recte Lachmannus animadvertit. Etenim si post 'domum' interrogationis signum ponitur, in enuntiato: Ergo nimium temerarius, qui? etc. verbum substantivum 'sum' vel 'fui' nullo modo potest omitti; sin autem adjungitur 'ecquandone tibi liber sum visus?' nec verbum substantivum nec pronomen 'ego' opus est. Cognovimus igitur, „ergo" nihil aliud esse nisi particulam consecutivam nec non hoc e totius loci interpretatione elucet, 'temerarius' non significare posse 'audax' (id quod Lachm. et Hertzbergius statuerunt), sed propriam habere et usitatissimam significationem: 'levis et inconsideratus', quam eandem in adverbio 'temere' invenimus. Verba 'an tu semper in nostrum jacies verba superba caput' cum proprie significent: ‚an tu semper detrahes de mea in civitate dignitate', nostro loco ad solum servitutis statum referenda sunt.

Quid igitur necesse est, lacunam ponere inter sex illos versus, cum justum et satis dilucidum sensum eos efficere cognoverimus? Fortasse nunc etiam clarius fiet quod jam supra docui, omnino fieri non posse, ut hoc frustum cum eleg. II,8 conjungatur, cum omnes sex versus de pertinaci agant puella. Hoc idem vero argumentum, a libri secundi carmine plane alienum, nonne optime quadrat ad carm. III,11? Equidem persuasum habeo, eidem puellae irasci poëtam in hac atque in illa parte, praesertim cum sententiarum ordo per utrumque frustum optime continuetur. Jungamus igitur versus carminis II,8 cum eleg. III,11 (Hertzberg eleg. II, 11. L. Muellerus III, II [XI]) et videamus, num perfectum et absolutum carmen existere possit:

Digitized by Google

Munera quanta dedi vel qualia carmina feci!
illa tamen numquam 'ferrea' dixit 'amo.'
ergo iam multos nimium temerarius annos,
improba, qui tulerim teque tuamque domum?
ecquandone tibi liber sum? semper amicis
in nostrum iacies verba superba caput?
Scribant de te alii vel sis ignota licebit:
laudet qui sterili semina ponit humo.
omnia crede mihi tecum uno munera lecto
auferet extremi funeris atra dies:
et tua transibit contemnens ossa viator
nec dicet „cinis hic*)", docta puella fuit.

Cum in prima parte poeta non finxit se superbae puellae servum fuisse non dicendo, in altera eo pervenit odii, ut etiam per eam se despectum esse pronunciaret. Ex quo animo indignatione plenus dicit acerbissime: Desinam, inquit, carminibus te celebrare, tum quid de te fiat, cognosces. Munera illa magna et splendida, quae tibi donavi, nulli tibi usui erunt, haec enim

auferet extremi funeris atra dies

sed carminibus te celebratam magna secuta esset gloria etiam mortuam atque in omnium hominum esses sermone. Nunc vero poenas lues tuae pertinaciae: ignota eris et contempta post mortem

et tua transibit contemnens ossa viator sqq.

Jubet igitur valere puellam parvo quidem sed tamen gratissimo carmine, cujus ne exitus quidem desideratur (id quod Lachmannus statuit in prima editione). Nimirum raro accidit, ut tam manifesta exstent argumenta, quibus conjungenda esse fragmenta demonstrare possimus. De muneribus et carminibus in utraque parte et quidem inverso ordine,

*) Non negandum est, quamquam cod. Groning. lectionem „haec" praeferamus, quam etiam cod. Neap. habet, sed in correctura. Lachmannus praeferendum esse hanc censebat, propterea quod sequeretur 'docta puella.'

meae, nunquamne tu, liberum hominem me esse suspicata es? an semper tuum servum me futurum esse putas? subaudienda sunt verba: magno in errore versaris, hoc existimans. Duo postrema enuntiata in unum sunt contracta: Ergo jam multos nimium temerarius annos, qui etc. — ecquandone tibi liber sum visus? sqq. — „temerarius" positum est pro, ego, qui temerarius fui. — Quo modo si verba conjunguntur, removetur illa difficultas, quam recte Lachmannus animadvertit. Etenim si post 'domum' interrogationis signum ponitur, in enuntiato: Ergo nimium temerarius, qui? etc. verbum substantivum 'sum' vel 'fui' nullo modo potest omitti; sin autem adjungitur 'ecquandone tibi liber sum visus?' nec verbum substantivum nec pronomen 'ego' opus est. — Cognovimus igitur, „ergo" nihil aliud esse nisi particulam consecutivam nec non hoc e totius loci interpretatione elucet, 'temerarius' non significare posse 'audax' (id quod Lachm. et Hertzbergius statuerunt), sed propriam habere et usitatissimam significationem: 'levis et inconsideratus', quam eandem in adverbio 'temere' invenimus. Verba 'an tu semper in nostrum jacies verba superba caput' cum proprie significent: ‚an tu semper detrahes de mea in civitate dignitate', nostro loco ad solum servitutis statum referenda sunt.

Quid igitur necesse est, lacunam ponere inter sex illos versus, cum justum et satis dilucidum sensum eos efficere cognoverimus? Fortasse nunc etiam clarius fiet quod jam supra docui, omnino fieri non posse, ut hoc frustum cum eleg. II,8 conjungatur, cum omnes sex versus de pertinaci agant puella. Hoc idem vero argumentum, a libri secundi carmine plane alienum, nonne optime quadrat ad carm. III,11? — Equidem persuasum habeo, eidem puellae irasci poëtam in hac atque in illa parte, praesertim cum sententiarum ordo per utrumque frustum optime continuetur. Jungamus igitur versus carminis II, 8 cum eleg. III, 11 (Hertzberg. eleg. II, 11. L. Muellerus III, II [XI]) et videamus, num perfectum et absolutum carmen existere possit:

Digitized by Google

Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
illa tamen nunquam ferrea dixit 'amo'.
ergo jam multos nimium temerarius annos,
improba, qui tulerim teque tuamque domum,
ecquandone tibi liber sum visus? an usque
in nostrum jacies verba superba caput?
Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit;
laudet, qui sterili semina ponit humo.
omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
auferet extremi funeris atra dies:
et tua transibit contemnens ossa viator,
nec dicet 'cinis hic[13]) docta puella fuit.'

Cum in prima parte poëta, non diutius se superbae puellae servum futurum esse dixisset, in altera eo pervenit acerbi odii, ut etiam poenas se expetiturum esse pronunciaret. Et quonam modo ulciscetur? nimirum acerbissime: Desinam, inquit, carminibus te celebrare, tum quid de te fiat, cognosces. Munera illa magna et splendida, quae tibi donavi, nulli tibi usui erunt; haec enim:

auferet extremi funeris atra dies

sed carminibus te celebratam magna secuta esset gloria etiam nfortuam atque in omnium hominum esses sermone. Nunc vero poenas lues tuae pertinaciae: ignota eris et contempta post mortem:

et tua transibit contemnens ossa viator sqq.

Jubet igitur valere puellam parvo quidem sed tamen gratissimo carmine, cujus ne exitus quidem desideratur (id quod Lachmannus statuit in prima editione). — Nimirum raro accidit, ut tam manifesta exstent argumenta, quibus conjungenda esse frusta demonstrare possimus. De muneribus et carminibus in utraque parte et quidem inverso ordine,

---

[13]) Non causa est, quamobrem cod. Dresd. lectionem „haec" praeferamus, quam etiam cod. Neap. habet, sed in correctura. Lachmannus praeferendum esse 'haec' censebat, propterea quod sequeretur 'docta puella.'

Digitized by Google

agitur (pars I: *munera* quanta dedi, vel qualia *carmina* feci. pars II: *scribant* de te alii sqq. — omnia, crede mihi, secum uno *munera* lecto etc.); hoc vero casu quodam accidisse, certe nemini persuadeas. Ceteris quoque in rebus ita omnia se habent, ut altera pars altera demum lucem accipiat. — Tota res ut clarior etiam fiat, liceat mihi comparare quosdam Waltheri versus, in quibus eundem invenimus sententiarum ordinem:

Lachm. 72, 37 sq: Hoeret wunder, wie mir ist geschehen

pars I.
- von mîn selbes arebeit.
- Mich enwil ein wip niht an gesehen:
- die brâht ich in die werdekeit,
- daz ir muot sô hôhe stât.

pars II.
- jon weiz si niht, swenn ich mîn
- singen lâze, daz ir lop zergât.
- 73,5 Herre, waz si flüeche lîden sol,
- swenn ich nu lâze mînen sanc!

Cognoscimus, hujus quoque carminis duas partes esse, in quarum una poëta causam affert, quare irascatur puellae, in altera ipsa ulciscendi ratio narratur atque magna et horrenda, quae sequentur. Hae duae partes, si casu quodam divulsae postea reperirentur, nonne conjungendas eas esse ipse sententiarum ordo demonstraret? Respondet vero v. 1—5 hujusce carminis v. 1—6 nostrae elegiae, v. 6—8 versibus 7—12.

Sed nondum ad finem totius quaestionis me pervenisse intellego. Reliquum est, ut *quae sedes elegiae nostrae inter carmina Propertiana designanda sit,* disceptemus. Atque hic quod egregie mihi via munita sit, vehementer gaudeo, nec jam vereor, ut Heimreichum nimiae insimules audaciae, qui magnam quidem, sed nescio an veram de nostra elegia conjecturam fecerit.

Hic enim in Quaestt. Prop., carm. III, 10, quod certe mutilatum exstat in codicibus, (quamquam adversatur Hertzbergius) in integrum restituere conatus est, statuens versus

Digitized by Google

21—26 initium esse carminis, deinde secutos esse v. 1—20, ultimam partem repetendam esse e carm. IV, 9, 4—58[14]). — Deinde pag. 26 probabili, ut mihi videtur, conjectura, quaerit, quo modo exorta sit illa corruptela, qua prima carminis pars in finem pervenerit atque sic argumentatur: „Cum enim valde hoc loco mutilatas et perturbatas fuisse codicis archetypi paginas edoceant corrupta et mutilata, quae antecedunt, carmina, hic quoque non potest non cogitari de folio quodam dilacerato. Dilacerati igitur hujus folii cum duae sint paginae, in altera hos sex versus (III, 10, 21—26) lectos fuisse verisimile est, in altera sex illos, qui sequuntur (III, 11, 1—6.). Hos igitur, qui sequuntur, versus, locum suum et ipsos mutasse et *quondam ad carmen quoddam pertinuisse suspicor, quod praecedebat carm. III, 10.* Cui rei optime favet et sententiarum nexus: non est enim verisimile, ita egisse poëtam, ut primum valere juberet puellam (carm. 9) dein ad Augustum converteret animum et epica se compositurum esse carmina profiteretur (carm. 10), dein rursus, animo ad Cynthiam revocato, diris adjectis, nunquam se jam scripturum esse de Cynthia pronuntiaret (carm. 11.). Ceterum reliquos hujus carminis, ad quod tria haec pertinebant disticha, periisse versus, in tanto codicis archetypi qui conspicitur squalore non est quod miremur.“ — Deinde pag. 33 conjicit, carm. III, 10 olim ultimum fuisse libri secundi, carm. IV, 9 olim primum fuisse libri tertii; carm. III, 12 jam ad tertium pertinuisse librum.

Libenter pedibus eo in sententiam Heimreichi, quam si accipimus, certe aptissimus carmini nostro restituto locus designatur. Ponendum est ante carm. 10, paenultima sit libri secundi elegia. Habemus igitur totum illud carmen, quo Propertius valere jubet puellam et nunquam se carmina amatoria scripturum esse, profitetur. Sed non modo hoc unum,

---

[14]) Qua in re quamquam non plane viro assentior, tamen v. 21—26 in initio carminis collocandos esse, ipse ego contendo.

Digitized by Google

irasci poëtam, comperimus: causam quoque inexpiabilis odii audimus: inexorabilis fuit puella sprevitque poëtam. Hanc vero sententiam, si cum aliis comparamus carminibus, quae antecedunt, nova exsistit difficultas, quam Heimreichus animadvertere non potuit, cum ultimam tantum elegiae partem nosceret; nos vero eam praeterire non licet. Cum enim e multis aliis carminibus, vere amatum esse poëtam a sua puella, compertum habeamus, cum carmina II, 8. 9. ereptam maerentem eum audiamus aemulumque omnibus diris devoventem, profecto miremur necesse est, quod hic subito, nunquam se amatum esse, dicat. Nescio an sic rem optime explices. Cum Propertius perfidam puellam denuo frustra precibus muneribusque reconciliare studuisset, effervescens animus poëtae atque ira inflammatus, prioris mutui amoris plane oblitus est atque hanc scripsit elegiam, in qua, justo acerbius, nunquam se amatum esse, magna voce clamat.

Sed nunc quo ruit Propertius? quid tandem facere ei in animo est? Hoc tibi quaerenti respondet carm. III, 10: convertit se, plane desperans de amore, ad epica carmina componenda, ad Augustum celebrandum, id quod nunquam antea ansus erat:

Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes
et modo Permessi flumine lavit Amor. —

Sed non multum poëtam in hac arte profecisse (id quod providere licebat) e carm. III, 12 vere cognoscimus. Ibi enim poëta in pacem rediit et in castra Amoris; jam denuo amatoria carmina pangentem eum videmus usque ad carm. III, 34, ubi iterum bella geruntur. De hac amoris commutatione Heimreichus pag. 27. 28. locutus est et rectissime, ut mihi videtur, quatuor statuit amandi aetates:

Prima aetas primum complectitur librum; poëta modo amat quam vehementissime, modo dubitat de fide Cynthiae, modo lamentando amare se rursus ardenter, testatur. *Secunda aetas* libri secundi carmina priora undecim (II. III, 10. 11.) complectitur; poëta primum amat quam vehemen-

Digitized by Google

tissime, paulatim eo pervenit, ut summam esse sibi persuaderet levitatem Cynthiae et perfidiam; denique eo progressus est perturbationis, ut jam relictis Amoris castris, se animum ad res prorsus alienas adverturum promitteret. *Tertia aetas* complectitur lib. III, carm. 12—34; poëta subito in pacem redit cum puella, donec rupto rursus foedere bella iterum gerantur amatoria. *Aetas denique quarta* complectitur lib. IV; primum rursus pacem iniit, dein rursus bella geruntur, tum rursus foedus icitur, donec rupta rursus fide, tandem ad sanum coïsse vulnera gaudeat Cynthiamque diris adjectis jubeat valere." — In hoc toto amoris decursu ubi aptius nostra elegia collocanda erat, quam ante carm. III, 10? —

Quo modo cum sedem quoque nostro carmini designaverimus, quaeramus jam, num quid ex eo de causis tantae in codicibus perturbationis conjicere liceat. Novum enim habemus et sane luculentissimum exemplum, e quo quam dilacerata sit codicum forma, cognoscere possimus. Videmus sex versus, inter se aptissime nexos, de suo loco remotos et in loco prorsus alieno collocatos esse. Hujusce satis audacis transpositionis num rationem reddere poterimus? Sed hic magis quid non sit, quam quid sit statuere licebit, cum nondum ad finem perductum esse magnum, qui nobis restat, laborem, jam supra docuerimus. Hoc vero meo jure contenderim, criticam nostri carminis conditionem minime favere Hertzbergii sententiae, qui Quaestt. Prop. p. 213—223 contendit: nullum praeter primum librum a Propertio editum, reliquos amicorum curis publici juris factos et nimis neglegenter digestos esse. Quod quidem in nostram elegiam nullo modo quadrat. An tu tantam fuisse amicorum neglegentiam putas, ut primum simplex illud et brevissimum carmen duodecim versuum in complures discinderent partes, dein vero (quod multo etiam minus verisimile est) primos sex versus in alieno collocarent loco, ubi interrumpunt optimum sententiarum ordinem et plane sensu carent? Certe nemini hoc persuadeas. Comprobaverunt Hertzbergii sententiam Bern-

Digitized by Google

hardyus in hist. litt. Rom. et L. Muellerus praef. ad Prop. pag. XII. A quibus viris longe ego dissentio: Si quid jure conjicere licet, certe probabilior videatur sententia, magnam in libris II et III perturbationem in libris demum Mss. exortam atque dehinc propagatam esse, quod eo facilius existimari poterit, cum nulli codices saec. XV. priores exstent. In magno vero praecedenti interspatio, quantas tu corruptelas fieri potuisse existimas? De reliquis libris IV et V quid statuendum sit, difficilius est dictu, et ne hic quidem omnem jam laborem absolutum esse confirmem, quamquam et Eschenburgius in observatt. critic. in Prop. Bonn. 1865 et Lütjohannus Commentat. Prop. Kil. 1869 optimum hujusce rei initium fecerunt. — Nunc vero, si quanam foliorum dilaceratione aut transpositione nostrum carmen divulsum sit, interrogas, si versuum computationem hic quoque, ut in carmine II, 6 a me poscis, hac in re me tibi satisfacere non posse, libenter confiteor: nimiae enim sunt et insanabiles adhuc corruptelae in carminibus antecedentibus.

Jam ad finem perveni quaestionum, quibus adumbrare tantum et leviter significare potui in diversas partes, quantae difficultates in utroque scriptore removendae essent, quanti etiam errores refellendi accuratissima carminum tractatione. Et certe non indigni sunt scriptores, quorum ingenii ludum plane cognoscamus, quorum carmina si inquinata videmus aut prava codicum conditione aut arte critica male adhibita, liberemus omni squalore et hoc quidem, quod non fieri potest, refellamus; tum quod ipse Tibullus de libello suo dixit, cum pulcherrime exornatum Neaerae suae donum mitteret (Pierides orat.):

ite domum cultumque illi donate libellum
sicut erit: nullus defluat inde color

de singulis poëtarum elegiis praedicare licebit.

Digitized by Google

SENTENTIAE CONTROVERSAE,

I. Aesch. Sept. v. 272—276; 278. (Dindorf poët. scen. Lipsiae 1869). sic sunt e codicibus scholiisque restituendi:

Δίρκης τε πηγαῖς ὕδατί τ' Ἰσμηνοῦ λέγω,
εὖ ξυντυχόντων καὶ πόλεως σεσωσμένης,
μήλοισιν αἱμάσσοντά μ' ἑστίας θεῶν,
θήσειν τρόπαια δουρίπληχθ' ἁγνοῖς
δόμοις.

Cetera ex interpolationibus et glossematis sunt exorta. — Deinde omnia a versu 264 usque ad v. 286 optime inter se cohaerent neque ulla lacuna est statuenda.

II. Aesch. Sept. v. 333, 334 (Dindorf poët. scen.) sic legantur:

κλαυτὸν δ' ὠμοδρόποις ἀρτιδρόπων
νομίμων προπάροιθεν διαμεῖψαι.

III. Aesch Choëph. v. 415—417 (Dindorf poët. scen.), qui plane corrupti exstant in codicibus, sic sunt emendandi:

ὅταν δ' αὖτ' ἐπαλκές τι λέξῃς
θράσος ἀπέστησεν ἄχος,
προσφανεῖσθάι μοι καλόν.

IV. Cic. Tusc. disp. V, 35, §. 102.

servanda est codicum lectio: signis, credo, tabulis *ludis* contra Seyfferti *studes* et enuntiata sic sunt conjungenda: Signis, credo, tabulis, *ludis si quis est, qui his delectetur*, nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi, qui iis abundant.

Digitized by Google

V. Cic. Tusc. disp. V, 25, §, 70.

plane aliena est a sententiarum nexu Orellii emendatio: *conlocatam* pro librorum Mss. *conlocatum*

VI. Aristoph. Ran. vv. 89—97

non sunt Herculi *et* Dionyso attribuendi, sed soli Dionyso.

VII. Hamiltonis ratio latinae et graecae linguae perdiscendae nunquam poterit adhiberi.

VIII. Philosophiae studium in gymnasiis diligentius et majore cum severitate est colendum, quam adhuc plerumque fit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOV 10 1893

NOV 11 1893

Digitized by Google

Lt 11.205
Quaestiones Tibullianae et Properti
Widener Library 005176441
3 2044 085 239 580